



# **De occultis pharmacorum potestatibus: quid, et quotuplices ea sint: quibus in morbis, quomodo, quando, quem in curationibus vsum habeant**

<https://hdl.handle.net/1874/437172>

DE  
OCCULTIS

PHARMACORVM POTESTATIBVS: QUID, ET QVOTV-  
plices ee sint: quibus in morbis, quomodo, quando,  
quem in curationibus vsu[m] habeant:

AVTHORE

THOMA ERASTO, HEIDELBER-  
gensis Scholæ professore.

ACCESSIT HVIC TRACTATVI DE-  
sputatio alia eiusdem serè argumenti,

DE

MEDICAMENTORVM purgantium facultate, tribus absoluta  
questionibus, in qua tota propè horum pharma-  
corum natura declaratur.



CVM GRATIA ET PRIVIL. S. CAES. MAIEST.

BASILEAE

per Petrum Pernam.

1574

OC CVLTIS

PHARMACORVM . POTES  
TATIBVS . QVIV . ET . QVIV


AVTHOR

THOMAS ERASTO NIDELBER

GENVS SCHOLAE PROFESSOR

DE

EDICAMENTORVM PER GENUUM SENSUM



IN OFFICINA ...

B. A. S. I. E. R.

...

...

# GENERIS NOBILITATE, VIRTUTE, ET DOCTRINA

na præstantissimo viro, D. Eberharto Vuambólto ab

Vmstat, Iudicij Imper. Spir. Assessori dignissimo,

Domino suo colendissimo, Thomas

Eraſtus Medicus

S. P. D.

**A**nnus agitur undecimus, vir nobilissime & doctissime, cum rogatu Doct. Henrici Smetij, Medici Antuerpiensis, de occultis pharmacorum potestatibus epistolam conscripsi: quam sub tui nominis auspicio vulgare nunc constitui. Non multo post in gratiam Doct. Simonis Grynei, Medici, de abditis purgantium facultatibus similiter fere disseui: tribus eam disputationem questionibus absolute tractatum propter argumenti affinitatem simul publicare hoc tempore multis rationibus persuasus volui: inter quas postrema non est, quod Paracelsicos animaduerti mirifice pharmaca sua alijs hoc nomine laudare: quasi admirabilibus viribus latentibus sint prædita. Quippe non verentur affirmare & scribere, eam in suis medicaminibus esse proprietatem seu prudentiam, ut pura corpora non moueant: sed ex quouis homine illud solum educant, quod præter naturam affectum est. Huic portentose opinioni cum occurrendum esse duxissem, commodum in mentem venit, quæ de abstrusis rerum virtutibus aliquando commentatus fueram. Itaque hunc ipsum tractatum nuper relegi: & quanta potui diligentia (additis nonnullis, quæ ad rei æclarationem facere, disputationemque dilucidior em efficere visa sunt) emendavi: inque capita distinxi. Huius consilij mei cau



sa non hac sola fuit, quod clariora sic omnia fore mihi perspicissimam: verum etiam quod minus lectori fastidium paritura lectio videretur. Libentius enim legere plerique omnes solent, quae in partes & capita diuisa sunt: quam quae perpetua oratione sectionibus carente proponuntur. Altera editionis causa fuit, quod ad huiusce rei disquisitionem, cuius perspicacitatem ad multarum in philosophia & arte medica obscurissimarum questionum enodationem mirifice conducere intelligimus, plurimos inuitare vultissimum existimaui: praesertim cum ex eo fructum minime paenitendum ad me rediturum considerem. Sic enim ratiocinabar. Si examinanda haec publice omnibus proposuero, vel ab errore si in aliquo versor, liberabor, alienaque opera rectius sapere ac sentire discam: vel hoc saltem nomine gaudebo, quod alios ad rei adeo vtilis & necessaria (à nulloq; satis explicata) indagationem excitauerim: testatumq; omnibus fecerim, quam seipub. literaria prodesse cupiam. & omnes (malis & ingratos facile contempsero) sat scio voluntatem probabunt: ut maximè facilitatem defuisse mihi videat. Idem veniam libenter dabunt, spero, si non omnia, sicut oportebat, exposui: ut qui probe norint, quam sit arduum, ne dicam impossibile, omnibus satisfacere: & in questione tam difficili obscura omnia illustrare, confusa distinguere, inuoluta explicare, incerta probare, dubia confirmare, deniq; inchoata sic perficere, ut nihil desiderari porro valeat.

Tibi autem, D. Eberharte nobilissime & doctissime, commentarium hunc nuncupare libuit, ut tua erga me beneuolentia, & me ex in te vicissim obseruantia testimonium, existisset: ne scilicet ingratus viderer res nostras familiaris noscentibus. Feci eò promptius, quod tum philosophicis tum Medicis hisce questionibus te summè delectari perspexi. Equidem non sine magna animi mei voluptate, toto illo tempore, quo vnà viximus, te cum de his ipsis, quas in presentia tractamus, tum de alijs differentem & interrogantem audiuimus. Saepenumero

numerò quamplurimos ex nobilitate sic affectos optavi, ut  
utilia & abstrusiora dogmata potius intelligere, quàm in-  
ania, noxia, & superstitiosa, persequi studerent. Accedit ad  
hæc, quod mihi olim author & hortator fuisti, ut hæc in lu-  
cem venire paterer: quò pluribus occasio de his ipsis rebus me-  
ditandi offerretur. Rectè namq; iudicabas, neminem unum  
facile intelligere, quæ multi simul viderent: ac faciliorem  
alijs fore inquisitionis laborem, si inuenta iudicare potius,  
quàm perquirere iuberentur. Ergo ocij plusculum nactus re-  
cognoui: recognita in tuo nomine apparere volui: ut  
si quis hinc fortè fructus ad lectorem rediret,  
tibi quoq; gratiam deberi om-  
nes intelligerent.



AUTHOR AEQVO ET  
CANDIDO LECTORI  
S. P. D.

**H**AVD nescio, Candide Lector, quàm multa consideranda sint ei, qui vulgò receptâ, & ex longo tempore confirmatam opinionem refutare decrevit. Nam vt alia nunc omittam, sententię vetustas, præiudicata in animis opinio corū deniq;, qui tradiderunt, auctoritas, plerunq; plus valent, quàm argumēta quantumuis firmissima. Maxima certè pars hominū ne ambigendum quidē putat de ijs, quæ à probatissimis vetustatis Scriptoribus prodita sunt: præsertim si vero similia sint: & explicatus habeant difficiles, vt falsitas eorum egrè deprehendatur. Sic fit, vt veritatem eruere cōnantem rideant: rationes, priusquam ponderarint, contemnant: adeoq; Sophisticæ accusent: ambitionis potius quàm veritatis studio moueri arbitrentur. Quod ne nobis in præsentiarum accidat, rogatum te velim, ne in hanc suspicionē me voces: à qua per Dei Opt. Max. gratiam ita sum alienus, vt esse magis vix vllus possit. Multò morimur, quàm sciens & prudens vanę gloriolæ causa veritatem in re utili obscurare, dissimulare, inuoluere, aut tegere. Præterquam enim, quod impium est, frustra etiã tentemus. Etenim veritatem oppugnari & premi, at expugnari & opprimi non posse præclare scio. Tantum ergo abest, vt hinc gloriam sperare sanæ mentis homo debeat, vt præter iram Dei & hominū nil nisi infamiam summam exspectare possit: nisi si gloriosum iudicat inter Philostratos, Phalarides, Neronas, & his similes nebulones alios, numerari. Ad quam rē, rogo te, laus prodest, quàm vt ex stultis (id est, sibi placentibus) insanos efficiat.

efficiat? Pleriq; omnes laudant & vituperant, quæ non  
intelligunt. Ad me quod atinet, parū rectè sollicitus vn-  
quam fui, quid in me vel iustè probarēt, vel iniustè dam-  
narent homines: vt qui persuasum semper habuerim,  
nec viuo mihi nec mortuo vel laudem prodesse, vel in-  
iustam vituperationem obesse: quandiu hoc egero, vt  
tranquillam conscientiam retineam: & neq; com-  
mendationibus neq; reprehensionibus à recto me abstrahi  
sinam. Quomodo immeritum me laudari à quoquam  
desiderem, qui ne iustas quidem laudes magni vnquam  
feci? Quod facio, non ob id facio, vt vel doctior alijs in-  
dicer, vel alios contemnam: sed vt priuatim ac publicè  
pro viribus artis nostræ studia promoueam: quicquid  
tandem de me cuiq; sentire libeat. Sed non debebas in-  
quiat fortè aliquis, tot præstantes doctrina viros dam-  
nare: aut tot seculis laudatam opinionem impugnare?  
Si præterito Galeni nomine hanc disputationem ordi-  
ri & pertexere licuisset, libenter equidem dissimulatis-  
sem: tamen si non ipsum accusarem, sed eius hac de re sen-  
tentiam duntaxat expendi desiderem. Quod de Archi-  
gene is prodidit, de ipso, de me, de alijs omnibus, rectè  
dici posse censeo: *καλεπὸν γὰρ (inquit) ἄνθρωπον ὄντα μὴ  
διαμαρτάνειν ἐν πολλοῖς: τὰ μὲν ὅλως ἀγνοήσαντα: τὰ δ' ἐκα-  
κῶς κρίνοντα: τὰ δ' ἐἀμελέστερον θεάσαντα.* Ego fanè sic nõ-  
dum desipio, vt me errare non posse arbitrer: nec ran-  
tum sibi credidit Galenus, vt nusquam se errauisse puta-  
uerit. Quamobrem sic propono, quæ de hac discepta-  
tione meditatæ fui, vt refelli argumentis ex animo cu-  
piam, quæcunq; à vero dissenteanea iudicabuntur. Nam  
vt mihi licere opinatus sum in aliorū sententias inqui-  
rere: sic alijs quoq; permissam esse potestati scio meas  
cogitationes examinandi & excutiendi: quò veritas v-  
biq; eruatur. Et quid potest homini veritatis amanti &  
cupido accidere iucundius aut optabilius, quàm si alio-



rum laboribus & industria dormiens ipse proficiat? Si  
veritate nihil est præstabilius, quomodo non plurimū  
debere me ei putem, qui errore detecto eam mihi com-  
monstrauerit? Serio dico, nullum mihi beneficium ma-  
ius dari posse, quàm si veritatē, vbi ea me fugit, doceat.  
Duo igitur abs te, optime Lector, impetrare vehemen-  
ter cupio. Primum est, vt certò tibi persuadeas, me hæc  
non captandę laudis aur glorię, sed solius veritatis inue-  
stigandę & cognoscendę causa exarasse. Quippe flagi-  
tiosum esse statuo ex reprehensionibus aliorum, præser-  
tim de bonis artibus & humano genere optimè merito-  
rū laudem sibi comparare velle. Alterum est, vt, quæ nõ  
rectè asserui, corrigas: ne fortè alios imprudens in eun-  
dem meum errorem inducam. Hoc qui faciet, non me  
tantum sibi immortalis beneficio deuinciet, verùm etiã  
de arte nostra præclarè censebitur meritis esse. **Æter-**  
**nus æterni Dei Patris filius, vnus cum Patre & Spiritu**  
**Sancto Deus, Dominus noster Iesus Christus sua nobis**  
**gratia semper præsto sit: quò nihil aliud cogitemus,**  
**quàm vt publicè priuatimque maximè profi-**

mus, Amen. Heidelbergæ, 9. Cal.

Iulij, anno 1574.

DE  
OCCULTIS  
MEDICAMENTORVM

PROPRIETATIBVS: QUID,

*& quotuplices ea sint: quibus in morbis, quo-  
modo, quando, quem & sum  
habeant.*

AUTHORE

THOMAE ERASTO MEDICO.

*Proœmium tractationis.*

Cap. I.



T meam tibi, D. Henrice Smeti doctis  
& charissime, de hac disputatione, qua  
haud scio an vlla in arte nostra inuenia  
tur obscurior & difficilior, (vt vel ex eo  
coniectare licet, quòd vix alia in re Me-  
dici præstâtissimi magis discordes fuis-  
se videntur) sententiam aperirem, multa effecerunt.  
Primùm quòd tibi cupio, quibuscunq; modis possum,  
gratificari: Deinde quòd sum veritus, ne silentio meo  
egregium institutum tuum, quo supra vulgares medi-  
cos eminere, & nō manifestarum tantùm, verùm etiam  
abditarum rerum causas inuestigare studes, improbare  
viderer: tuq; de tuo studio ob eam causam aliquid re-  
mitteres. Tertio, quòd author lib. ad Pisonem huc nos  
vocaret: dum boni medici officium statuit, rerum om-  
nium, quoad fieri potest, causas sedulò scrutari. Nec  
Empiricos solos accusat, qui idiotarum instar illa dun-  
taxat admirantur, quæ fiunt, causas autem ne inquiren-  
das quidem censent: verùm illos etiam vituperat, qui



peruestigandas iudicant, sed de inuentione desperantes indagare nunquam tentant. Postremò, quod futurum speraui, vt vel tu, vel aliquis ex amicis tuis viris doctrina, ingenio, iudicio me præstantioribus, maioreq; otio fruuentibus, ansa hinc arrepta, totã hanc disceptationẽ diligentius examinet: ac quid in ea rebus consentaneẽ dictum sit aut non sit, planius nobis demonstret.

*Propositio presentis disputationis. Cap. II.*

*Questio  
nes, de qui-  
bus in præ-  
sentetra-  
ctu disputa-  
tur.*

- 1 **E**Rgo vt ad rẽ ipsam veniã, prima tua quæstio hæc est: Vtrum medicamẽta exstare putem, quæ abdi-  
ta quadã vi certis corporis partibus præcipuẽ sic  
profint aut noceant, vt ab illis denominari apte valeãt?  
2 Deinde, si rem ita habere persuasum habeã, audire ex  
me cupis, an methodo aliqua in eorum cognitionem  
peruenire possis? Valdẽ enim dedecere medicum, recte  
iudicas, talia ab imperitis & idiotis addiscere. Præterea,  
3 vt, quæ roborare aliquod membrum scribuntur, ad-  
stringendo id præstent, an alia quadã potius ratione?  
4 Item, vt, quæ alia deducere ad certas partes credun-  
tur, eadem sint cum iuuantibus ac roborantibus? an alia  
5 deducant, alia vero inuent? De purgantibus etiã dubi-  
tas, non quidem, an certum aliquem ex corpore humo-  
rem educant, (id quod testatum confessumq; omnibus  
censes,) sed an ex certo membro, peculiari quadã virtu-  
6 te, noxia expurgare apta nata sint? Postremò rogas, vt  
quid de viribus hydrargyri & Antimonij sentiã (quorũ  
in morbis difficilibus frequens istic sit vsus) tibi exponere non grauer. Ad has tuas quæstiones, clarẽ & perspicuẽ respondere vix potero, si nõ prius declarauero, quid  
1 de occultis medicamentorum viribus seu proprietati-  
bus appellatis sentiã. De hac igitur re primũ dicam  
aliquid, scilicet, an talis aliqua in rebus facultas in sit?  
2 Deinde, quid & qualis ea sit inuenire tentabimus. Post-  
hęc,

*Ordo præ-  
sentis dispu-  
tationis.*

hæc, quem in curando vsu habent: quomodo, quando, & quibus in morbis adhibenda sint medicamenta his viribus prædita considerabimus. Postremò, qua poterit fieri breuitate ad tuas quæstiones oēs respondebimus.

*De nominum distinctione. Cap. III.*

**A**NTEAVERÒ QUÀM AD IPSAM CAUSAM AGGREDIAR, ADMONENDUS MIHI ES, (NE FORTE NOMINUM TE HOMONYMIA TURBER) NIHIL ALIUD ME PER OCCULTAM PROPRIETATEM INTELLIGERE, QUÀM LATENTEM POTESTATEM, QUAE RES AGUNT PATIUNTUR, ALIQUID, CUIUS RATIO REDDI À NOBIS VEL NULLA, VEL NON FACILE POTEST. OCCULTUM ENIM DICIMUS ESSE, QUOD VEL SCI RI NON POTEST: VEL NON FACILE INTELLIGITUR: VEL NON CUIUS INNOTESCIT. QUIDAM CÆCAM HANC VIM SPECIFICAM PROPRIETATEM VOCARUNT: ALII, QUOD IDEM PROPRIETATEM EST, SUBSTANTIÆ PROPRIAM FACULTATEM NOMINARUNT: ALII NATURAM, QUAE RES EST HOC IPSUM, QUOD EST, (HÆC AUTEM FORMA EST.) APPELLARUNT. GALENUS QUAE HOC PACTO AGUNT, ALIQUANDO À SUBSTANTIARUM QUALITATE SEU PROPRIETATE, AUT ESSENTIÆ SIMILITUDINE: FREQUENTER À SUBSTANTIARUM FAMILIARITATE, SIMILITUDINE, AMICITIA: PLERUNQUE À TOTA AGERE SUBSTANTIA DICIT. QUOD POSTREMUM PERINDE EST, AC SI À NATURA AGERE DICERET. NAM IN 3. DE TEMPER. CAP. 4. PER NATURAM AIT, SE VNIVERSAM SUBSTANTIAM ATQUE TEMPERIEM EXTURAE ELEMENTIS CONFLATAM INTELLIGERE. VIDENTUR SANÈ OMNES EANDEM SEMPER REM INTELLIXISSE: QUANTUMVIS ADMODUM NOMINIBUS EAM DIVERSIS EXPRESSERINT. NOS ETIAM QUOCUNQUE; TANDEM NOMINE APPELLATURI SIMUS, EANDEM TE REM PERPETUÒ INTELLIGERE IUBEMUS.

*An detur occulta proprietates. Cap. IIII.*

**H**IS ITA POSITIS, HAUD MAGNO CUM LABORE EX PRIMA NOS QUÆSTIONE EXTRICAUERIMUS, QUAE QUÆRITUR, VTRUM TALIS QUÆDAM POTESTAS IN REBUS LATEAT, CUIUS NATURA

*Quam varie appellata sit occulta proprietates.*

*Quid Natura Gale no alicubi significet.*

*An detur occultæ potestates.*



ram animus noster plenè concipere nequeat? Etenim compluribus iam seculis, (ne omnibus dicā,) perpauca existerunt homines docti, qui esse negarent. Quòd si reperti sunt, qui effectuum omnium, quos ab occulta vi proficisci dicimus, causas in apparentibus ac notis elementorum qualitatibus inuenire tentarunt, nihil aliud cōsecuti sunt, quàm quòd ab omnibus veritatis studiosis, & rerum naturalium scientibus meritò derisi sunt.

*Pelops negavit occultas proprietates.*

*Aristot. nō negavit occult. rerum potestates.*

Ex horum numero Pelopem præceptorem suum fuisse narrat Galenus. Ac visus est nonnullis Aristoteles quoque hanc opinionē tenere: propterea quòd in sua philosophia ad causas notas omnia referre studet. At si, quid Aristoteli quouis in loco propositum fuerit, attentius consideremus, facillè perspiciemus, cum nō debuisset aliter illis in locis de propositis rebus disputare. Hinc tamen minimè sequitur, cum negasse plurima reperiri, quorum causas nemo reddere possit. Quin apertè hoc ipsum confitetur, cum rerum cunctarū causas non perquirendas esse docuit: propterea quòd multa sint, ad quorum naturam penetrare acies humani ingenii non queat. Quò illa etiam sententia pertinet, que in 2. lib. de Cœlo & mundo, cap. 5. exstat. ἴσως μὲν ἐν τῷ περὶ ἐνίων ἀποφαίνεσθαι τὴν περιᾶσθαι, καὶ τὸ περὶ πάντων, καὶ τὸ περιέειναι μὴ θεὸν παρ' αὐτῶν δόξαι εἶναι σημεῖον ἢ πολλῆς ἀληθείας, ἢ πολλῆς προθυμίας. Et si enim hæc de alia re sunt dicta, non inueniuntur tamen in eos etiam dicentur, qui tales nullas in

*Alexand. Aphrod. Auerroes.*

rebus esse potētias asserunt. Quid Alexander Aphrod. & Auerroes, pertinacissimi Aristotelis sectatores, hæc de re senserint, minimè obscurum est. Libenter illi has proprietates ex Præceptoris sui sententiâ admittunt. Sed frustra quid senserint summi & acutissimi philosophi

*Exempla proprietatis occultæ.*

quærat, ubi nos sensus nostri erudire possunt. Verum de multis, imò verò infinitis, paucissima commorem, quis non Magnetem ad se ferrum attrahere aliquando

aliquando vidit? Quis acum ferream eo temperatam ad polum se conuertere in nauigatoria pixide non est intuitus? Ferrum & lapillos à certorū animalium ventriculis atteri cernimus: quos ne ignis quidē tam breui tempore atterat & comminuat. Quas dicemus, quæso, qualitates admirandorum talium effectuum causas existere? An elementorum caliditate Struthio deuoratum ferrum comminuit ac conficit? Si ita sit, vincere in mitione oportet. Apparere igitur in hac actione caloris natura necessariò debebat. Sed quid habent cum aliæ omnes recensitæ actiones, tum ferri deglutiti consumptio, simile caloris? Ignis certè hoc pacto ferrū non comminuit, quo Struthionis venter absumit. Taceo quòd liquefieri ferrum oporteret, in partium consimilium coactione, & dissimilium separatione: quam ignis effecit. At verò quo pacto ab igneo calore liquefiat ferrum, nec igniatur tamen, intelligi nequit. Quod si ignitur, quomodo tandem non vrit? Vt igitur hanc partem concludam, sic existimo: facultates in rebus occultas plurimis reperiri, quas ob id, quòd animorū nostrorū acies eas attingere atq; comprehendere vel nullo pacto, vel difficillimè potest, occultas nominare soleamus. Neq; probatione alia opus esse præterea censeo, quàm ea, quam nobis sensus nostri suppeditant. Attamen non hîc factum eorū probo, qui ferè quorum causas non percipiunt, à cæcis omnia mox causis profecta distitant. Verùm hac de re postea, cum ad tuas quaestiones respondebo, plura dicam.

*Proprietates occultas rebus plurimis insunt*

*De quaestione proposita difficultate.*

C A P. V.

*Difficile est dicere, quid sit occulta proprietates.*

Quoties mecum cogitare incipio, cuiusmodi quid sit ista proprietates, in immenso mihi esse videor la



byrintho: ex quo nullus pateat exitus. Tot enim ex omni parte apparēt difficultates, vt quid tutissimè sequar propemodum ignorem prorsus. Non eo tantum nomine intricata est & obscura disputatio de cæcis illis facultatibus, quia ad eas animi nostri cogitationes vel nullo modo vel obscurè pertingunt, verū etiam quia clarissimi viri plurimum in earum explicatione, vt nemo ignorat, dissident. Auget difficultatem, quod relegendi & diligentius examinandi, quæ hac de re multis scripta sunt, non datur ocium atq; potestas. Quantū memoria tenere potui, & verum esse aliàs putauī, tantū pro hoc tempore ad te scribam.

*De varietate opinionum circa presentem questionem. CAP. VI.*

*Opinio de  
essentia oc-  
sultarū pro-  
prietatum  
prima.*

**P**Vtant alij latentem hanc vim nil aliud esse, quam substantiam: vel substantiæ effectricem formam. In hac sententia Auicenna fuit: sicut non vno tantum testimonio probari potest. Naturam esse, ait, quæ sit principium motus & quietis. At hæc forma est. Quippe materia per se considerata principium non est actionis vllius. Quin explicatis verbis formam esse dicit, in 2. Fen. cap. de eo quod bibitur ac editur. Hunc tu locum si libet, & præterea cap. 10. libri, quem idem *Opinio. 2.* de medicamentis cordis scripsit, inspicio. Alij qualitatem affirmarunt esse, quæ substantialem in composito formam absque medio comitaretur: cuius opinionis tum Veteres tum Recentiores propè omnes fuerunt. *Opinio 3.* Quanquam & fuerunt olim & sunt hodiè, qui accidens statuunt propter certam elementorum mixturem in compositis consistens. Huic sententiæ fauere visus est Auerroes dum aliud nihil, quam mensuram complexionis, vt ipse loquitur, affirmauit esse.

Galenus ita est hac in re varius, vt, quomocun- Opinio Ga-  
 que loquamur, semper nobis consentientem habituri leni.  
 videamur. Vix enim aliud, quàm Auicenna, sensisse iu-  
 dicari potest: cum actiones tales à tota substantia pro-  
 manare scripsit. (Nisi minus rectè tota substantia, quæ  
 materiam quoque complectitur, pro forma posita pu-  
 tetur) Rectius paulò tunc loquitur, cum ab essentiæ si- Essentia Ga-  
 militudine proficisci asserit. Nam essentia ei nihil est a- leno quid  
 liud, quàm temperamentum ex qualitatibus ortum: sit.  
 quod & formam aliquando appellauit: vt ex infinitis  
 locis ostendi, si res flagitaret, posset. In libro & cap. oëta  
 uo de Comp. secundum locos dilucidè admodùm, quid  
 has proprietates esse velit, exponit. Nec minus apertè  
 in 4. de simp. fac. cap. 9. & 15. sese declarauit. Certum est,  
 sententiam ipsius omnibus recitatis opinionibus ac-  
 commodari posse: siquidem in purè vegetabilibus for-  
 commodari posse: siquidem in purè vegetabilibus for-  
 mam aliquam substantiæ præter temperamentum po-  
 fuisse concedatur. Si alijs præterea sint, qui aliud quip- Opinio A-  
 piam velint has facultates esse, de illorum mente non strologo-  
 erimus hoc loco multum solliciti. Aut enim ad ali- rum.  
 quam enumeratarum reduci poterit, vt Mesuei opi-  
 nio: aut manifestam falsitatem cõtinebit, qualis est Ge-  
 nerhliacorum Astrologorum imaginatio. Quam quia  
 alibi validè confutauimus, & deinceps etiam data occa-  
 sione atq; ocio confutaturi sumus, hoc loco refellere  
 operosius necesse non habemus.

*Occulta rerum potestates non sunt à cælo.*

C A P. VII.

VNum hoc in præsentia dicam, ipsos in cælo ratio-  
 nem adhuc nullam inuenire potuisse, cur omnis  
 Magnes quocunque loco, tempore, modo genere-  
 tur eruatúrue, ferrum ad se pertrahat? Si à cœlesti



*Quæ à pa-  
rentibus ac-  
cipimus, nō  
sunt à cœlo  
infusa.*

*Formæ et  
earū vires  
essentiales  
non manāt  
è sideribus*

aliqua virtute hoc toti aliquando speciei datū nugen-  
tur, non liquet tamen quomodo aut vnde indiuidua,  
quæ tunc nondum erant, sed postea orta sunt, eam acce-  
perint. Non enim qui tunc erant, per propagationem  
vim istam in alios omnes continuare, ac ueluti trans-  
fundere potuerunt. Quippe non ex semine, ut anima-  
lia & plantæ, nascuntur. Deinde si recentiores semper à  
suis eam, vt sic dicam, parentibus accepisse fateantur,  
frustra cœlorum certas conuersiones nobis proponūt.  
Etenim sic non à cœlo, non ab vlla creatura, sed ab ip-  
somet omnium factore siue creatore vires naturalisq;  
suas res singulas obtinuisse, & easdem ipsius iussu nunc  
quoq; retinere, concludendū erit. Summa est: proprie-  
tates specierum non è cœlo deriuantur, sed à formis  
proficiscūtur. Quod si & formas specierū à siderib; in-  
fundi au sint affirmare, à Philosophis ridebūtur: à Chri-  
stianis etiam execrabiles rectè iudicabuntur. Non à cœ-  
lo, sed à creatore formæ specierum originem suam tra-  
xere: si creationis historiæ credendum censent potius,  
quàm mendacibus fabulis. Iussit ergo Deus quamque  
speciem se indiuiduorum eisdem viribus præditorum  
multiplicatione propagare: nō imperauit sideribus, vt  
vel formas vel earum vires proprias creatis rebus im-  
primerent. Equidem prudentes Astrologi omnes non  
hoc agunt, vt vtrum homo hominem sit generaturus,  
an leporem, vaticinentur: sed num talem sit paritura  
mulier grauida masculum aut foeminam, ingeniosum  
aut rudem, robustum aut languidum, viuacem aut mo-  
ribundum, etc. præfagire conantur. Absurdus est, quàm  
vt refelli debeat, quod quidam dicunt, à certo siderum  
positu vim istam iam diuersissimis terrarum tractibus  
natis demissam omnibus fuisse. Quare non est, vt per-  
suadere nobis studeāt abditas, de quibus agimus, vires  
cœlestes esse qualitates, quæ à suo quodam aspectu,  
(quem

PROPRIETIB. MEDIC.

(quem ne illi ipsi quidem, qui talibus fabulis gaudent, cuiusmodi sit, definire vnquam potuerunt) rebus impressæ sint. Hac igitur & similibus imaginationibus missis, in tres enumeratas opiniones inquiremus diligentius, vt quid verum in hac re sit, planius cognoscatur. Etenim quod quidam ex Astrologis Mesuem suæ opinioni fauere putant, refutatione minimè indiget, Quippe si verum sit, eadem ratione confutabitur. Si nõ sit, vt non esse scio, non patrocinabitur ipsis.

*Proprietates latentes non sunt idem quod forma.*

C A P.

VIII.

† **Q**uod ἀόρητοι ἰδιότητες, istæ non idem sint cum forma substantiali, multis ac firmis videtur argumentis commonstrari posse. Primum quidem, quia forma nec intendi nec remitti potest: quod de proprietatibus istis dici nequit. Constat enim eas modò meliores, modò deteriores esse. Quin & aboleri prorsus eas apparet: forma nihilominus integra & incolumi permanente. Probant vtrunq; multæ plantæ in alienũ locum translatae quarũ aliæ vires suas penitus amittunt, aliæ multò quam antè imbecilliores retinent. Illustre exemplum habemus in Perlea arbore: quod nemo ferè nescit. Aridæ quoque plantæ frequenter facultates, quas, antequam siccarentur, habebant, amiserunt. Loquor autem non de illis, quas, dum viuerent, obtinebant, sed quas mortuæ possederant. Vnde potest cognosci, ne cadaueris quidem formam hic nobis obijci posse.

*Proprietates occultæ non sunt formæ rerum.*

2 Præterea docet nos experientia, arte facultates istas plurimum debilitari, adeoq; tolli posse. Aloe namque sæpius lota, non naturam, sed purgandi potestatem perdit. Idem hoc multis alijs euenire, (cum possunt.

*Proprietates occultæ subiecto saluo tolli possunt.*



aut teruntur exactè: aut macerantur in liquore alio quo: aut vruntur: aut alia ratione tractantur: ) vulgò notum est Medicis. At formam nec amitti, re, cuius est forma, salua permanente: nec remitti posse, ex confessis est. Frustra quoque excusare aliquis conetur quasi instrumenta amiserit: eaq; de causa similiter, vt antè, agere non possit. Etenim succi, plantæ, metalla, & huius generis medicamenta alia non talibus indigent instrumentis, vt in nostra corpora agant, qualibus ad incessum & ad cæteras vitæ actiones perficiendas egent animalia. Quod de animalibus dico, de plantis etiam intelligi debet. Magnes certè non videtur vlllo corporato instrumento, sed incorporea siue spiritali quadam potestate, quasi manu quapiam, ferrum ad se pertrahere. Profectò pars maxima talium medicamentorum non antè agunt in corpus nostrum quam à congenito nobis calore quodam modo corrupta, hoc est attenuata, dissoluta, & in corpus deducta, siue distributa sint. Deinde quo pacto credi possit formam in misto inharere, instrumentis ad agendam destitutorum. Nullum hic aliud somniare instrumentum oportet, quàm temperiem. Intelligere id facillè poterit, quisquis partes omnes medicamenti examinare volet. Etenim aqua, in qua aloë abluta est sæpius, purgabit: quæ relicta est substantia, non purgabit. Quod si abluta ab aqua partes instrumenta solum fuisse uirtutis purgatricis, aut formæ aloës, putentur, quomodo formam carentes purgare poterunt? Non arbitror aliquem opinaturum esse, formam aloës vnà cum puluere quem aqua abstulit, abiisse. Sic enim partes relicte, aliud quippiam factæ essent. Nemo non scit pleraq; medicamenta minutissimè teri, antequàm sumenda agris proponantur. Quo fit, vt perfacillè partes quædam à cæteris auellantur: & forma quæ in reliquis insidet, priuata

*Instrumentum, quo phar-  
maca præparata agunt, est temperies eorum.*

uata instrumentis credi possit. Sic omnis ferè forma instrumentis destitueretur: & rarò aliquid efficiet illorum, propter quæ exhibetur. Verùm absurdiora sunt ista, quàm vt cõfutatione verbosiore digna censi debeãt.

3 Illud etiam non minus, quàm modo dicta, apertum notumq; est, formam sæpè interire (quo modo perire formæ possunt) & facultates istas nihilominus illæ saltem ex corpore educit, cum forma, per quam viuebat alebaturq;e, priuata est, quàm dum ea prædita esset. Idem hoc, cum in alijs omnibus ferè plantis, tum verò maximè venenosis accidit. Non enim minus necant, cum leuiter arefactæ sunt, quàm cum nuper ex terra extractæ, aut de sua radice decerptæ virentes adhuc exhibentur. Neq; hic obijci potest, à cadaueris forma, quæ altrici animæ successerit, hæc effici. Etenim viuentes idem poterant. Quin etiam sunt, quarum, vel odor solus, vel umbra dicatur perniciosa: idq; tum maximè, dum viuunt ac vegete sunt. Tantum porrò abest, vt formæ illæ duæ, viuentis scilicet plantæ & mortuæ siue cadaueris, idem agere possint, vt maximè contraria operentur. Sunt enim ipsæ quoq; essentij maximè inter se contrariæ: eo scilicet modo, quo aduersæ sibi formæ esse possunt. Hoc sanè confessum arbitror, non posse tam discordantes formas eiusdem illius effectus causas per se existimari.

Forma substantiali abeunte ex pharmacis manet proprietates.

Forma discrepantes non sunt eiusdem effectus causa.

4 Considerandum illud quoq; est, potestates tales in re vna nonnunquam plures & diuersas inueniri. Reperias apud nos plantas, (ne de nuper cognitis & perlustratis Insulis exempla petere cogamur) quæ succû habent noxium, carnem innoxiam. Et multò facilius, quæ vna parte purgent, altera purgationes cohibeant: vt Aloe, vt Rhabarbarû, & alia. Certè vtrunq; diligenter lotum si exhibueris, nõ tam purgabit, quàm cohibebit.

In Pharmaco vno facultates in sunt disparatae & contrarie.



*Forma sub  
stantialis in  
qualibet re  
unica est.*

*Formæ sub  
stantiales in  
vna specie  
nō sunt pu  
gnantes.*

Sic rosę quoq; utrūq; faciūt. Nec est difficilē hic quoq; partes, quibus purgāt, ab alijs separare: præsertim cū sua sponte exhalare soleant: & in superinfusam aquā calidam exactē eas deponant. An duas dicemus in talibus esse medicamentis formas substantiales? Atqui nō nisi vna inest. Neq; hæc in ablutis particulis insidet, quę paucissimæ sunt, in cæteris non est quæ plurimæ sunt: formamq; pristinam externè retinēt. Nec potest in vtrisq; partibus æquē inesse. Quare nō poterit hic forma substantialis poni pro causa vera & proxima taliū actionū.

5. Reperias etiam sæpè eiusdem speciei indiuiduales habere potestates omninō contrarias. At contrarias in eadem specie formas fingere is tantū potest, qui ratione caret. Præstantes Philosophi à nullā in naturali effici posse censuerunt, vt indiuiduum aliquod ea priuaretur facultate, quam speciei forma ex se profert: & à se informatæ materiæ contribuit. Multò certè minus fieri potest, vt vnus eiusdemq; speciei indiuiduales formas obtineant contrarias. (Loquor de formis substantias efficientibus: non de accidentibus.) Porrò inuenias in hominum genere, quouis ferè in loco, plurimos, qui natura à cibo ac potu aliquo abhorrent, quibus alijs impense delectantur. Sunt quibus sudorem exprimat felis, absconditus etiam, quantumuis absconditū ibi esse prorsus ignorēt. Possē alia præterea argumenta multa ad hanc rem probandam adferre, (vt illud est, quod sæpè res dispares siue dissimiles eandem virtutem possederunt: quòd aliquando post ortum spontē acquiruntur: quòd non rarò cum ætate permutantur: & huius farinae alia) nisi iudicarem validè satis demonstratum esse opinionem primam consistere non posse.

*Abditæ*

*Abdita potestates non sunt formarum substantiarum potentia. Cap. IX.*

**I**am an facultas sit, quæ formam substantialem sine medio in re mista comitetur, videndum est. Ideo autem hanc sententiam à iam dicta separare ac seorsum examinare placuit, quod plurimi arbitrantur, tales potestates non esse substantias, siue partes, vt sic loquar, essentia formarum: quam controuersiam hoc loco explicare nõ est animus. Ergo qui formæ *ἰσχύεις* substantias credit, is nos in iam dicta sententia refellenda in hæc rere existimet. Qui qualitates esse atque accidentia eorumdem putat, is hanc refutari opinionem sciat. Vt vt res habeat in hac parte, certum semper hoc est, admodum finitimam esse vtramq; sententiam: eisdemq; argumentis ambas vel confutari vel comprobari. Quam ob rem rectè cõcinneq; argumenta enumerata vel omnia vel quædam hîc repetentur. Quippe certum omninõ est, quæ hoc modo à forma pendent, perque eam in composito insunt, ea præsentè forma adesse, eademque abeunte, necessariò simul cum ea abire. Quia si in subiecto aliquo ea forma non informato inherere possent, ab illa forma omninõ nõ dependerent. Quod enim certæ formæ proprium est accidens, & peculiaris in composito effectus, id alibi ne fingi quidem potest. Quod alibi esse conseruariq; valet, causam in re, cui inest, habere oportet. Quare non erit vllius alius rei differentis proprium. Porrò monstratum supra euidenter est, ex talibus facultatibus quædam frequenter, non aboleri tantum, forma superstitè, verum etiam hac depulsa & corrupta integras & efficaces in subiecto seruari. Ad hoc ostendendum, exempla adducere alia à supra recensitis placuit: vt propositæ causæ veritas magis pateat. Medicamentum sumito purgatorium, vt Rha barbaricum,

*Quidã potestates formarum negant esse essentia seu substantia eorum partes.*

*Proprietas formæ non est sine forma.*



& per Chemiam aquā ex eo aut oleum, elice: aut aliud si libet. Eandem specie purgandi virtutem in partibus arte separatis deprehendes; quam in toto ante inefficax expertus fueras: licet ea non sit in cunctis partibus similiter efficax & vehemens. Tantum verò abest, ut animā in aqua vel oleo (ea, qua dixi, industria concinnè segregato,) contineri ausis credere, ut ne cadaveris quidē formā in eo imaginari possis. Plures enim de toto medicamento partes ab oleo separatæ sunt, quā ut formā in eo reseruari potuisse aliquis non rerum omnium ignarus existimare velit. Siquidem superstes mansisse cogitetur, in alijs potius partibus quærenda fuerit, quā in aqua vel oleo. Ergo facultatē purgandi Rha barbaricū non à forma sua accepit. Etenim si per formā præsentiam cōposito ad fuisset, per eiusdē absentiam eidem adempta fuisset. Adfuit verò & viuenti & mortuo: quinetiā partibus adest, in quibus ne cadaveris quidem prima illa forma seruata fingatur. Ratio eadē valet, in alijs quoque multis cōpluribus. Potest in nonnullis purgatrix facultas minore labore vtilissimè simul atque pulcherrimè separari, maceratione nimirum, de qua hoc loco differere non est tempestiuum. Satis est in præsentia, si intelligas, vires istas in certis partibus seruari, in quibus totius formam seruari nemo sanæ mentis putauerit. Quòd si formæ potestates fuissent, ab ea separari nullo vnquam ingenio, nulla arte, nulla vi naturali potuissent.

Rhabarbari purgatrix facultas non est formæ *Swaps.*

Facultates formarum in omnibus indiuiduis insunt.

2 Deinde quòd supra quoque recitatum fuit, oportet facultates istas in cunctis eiusdē speciei indiuiduis inueniri. Vbi namque forma est, ibi quæ ipsam consequuntur, adesse quoque oportet: quemadmodum humana forma siue anima nunquam reperitur, vbi non simul etiam ridendi potestas reperiat. Atqui multa sunt indiuidua, quæ abditas illas facultates, quas ante habebant, amiserunt, ut exemplis supra perspicuū fecimus. Quinimò nec omnibus

nib. adsunt indiuiduis eadē semper proprietates. Reperias qui vehementer ab ouillis carnibus purgētur: sicut nō modo Galenus scribit, verum etiā certissima experientia ipse verum esse cognoui in compluribus. Reperias haud multō pauciores, qui absq; omni incommodo ipsis iucundē uescantur: quantumuis antè nunquā degustauerint.

3 Quid, quod non semper nobiscum nascuntur istæ proprietates? an non apertè id probat, à forma non ita eas dependere, ut multi credunt? Interdum adultis accedunt: sæpè cūm ætate permutantur. Etenim inuenti sunt omnibus temporibus, quibus quod aliquando ingratiſſimum fuisse, ætatis decursu redditum sit iucundissimum. Quæ ratione factū est, ut aliqui cibis quibusdam senescentes magna cum voluptate simul & utilitate vesci potuerint, quos adolescentes non sine certo periculo vsurpassent. Taceo quod non prorsus nulli fuerunt nostra etiam memoria & patrum nostrorum, qui aliquo temporis spacio edere nihil potuerunt: quantumuis antè non secus atq; alij omnes cibo ac potu gauderent. Nota est historia Spirensis puellæ. Nota quoq; est Nicolai illius Heluetij, qui per annos circiter 20. sine omni cibo vixit. Qui vel non credit ante dicta, vel non capit satis, attentè perlegat, quæ à Galeno de consuetudine perscripta sunt. Ad quam rem itidem faciunt, quæ in 18. ca. lib. 9. de histor. plant. disputauit Theophrastus. Item quod quidam venenis se ipsos assuefecisse creduntur: quæ nemo nō nouit tota substantia nobis contraria & pernicioſa. Ergo si per formam substantialem hoc nobis inest, ut à venenis perimamur, & consuetudine assequi possumus, ut ea nobis non noceant, sed nutrimenta potius fiant, necesse est ut fateamur, alicui indiuiduo potestatem inesse, quo simpliciter pugnet cum eo, quod eidem à tota inest specie. Hoc perinde est,

*Abdite proprietates non semper adsunt ab ortu rebus quibusdā.*

*Quidam sine omni cibo aliquot annis vixerunt.*

*In indiuiduo nil potest esse cū forma specifica pugnant.*



ac si quis dicat, hominis aliquod indiuiduum posse esse irrationale & brutum. Deinde poterit cōsuetudine facultas, quæ ex sinu formæ substantialis prodit, mutari & superari. At neutrum credi ab homine sano debet. Quare confitendum nobis erit, neminem, quatenus homo est, id est, quatenus humanam formam habet, nutrirī veneno posse. Quòd enim speciei alicui natura inest, hoc omnibus eius indiuiduis inest.

*Indiuidua  
facultates  
habent non  
à forma  
perfectas.* 4 Verùm enimvero indiuidua cuiuslibet speciei nõ illas duntaxat facultates possident, quæ formam substantialem consequuntur, sed alias præterea, quæ temperamenti cuiusq; comites sunt. Hinc peculiariæ istæ hominum proprietates *ἰδιοσυγκρασιαί* appellatæ exoriuntur. Ab hac sententia non discordat Auerroes ille: cùm in materia accidentia inesse concedit, quæ formæ præsentiam non consequantur. Hisce qualitatibus discriminata ferè sunt vniuscuiusque speciei indiuidua. Quamobrem fieri potest, vt materiales istæ qualitates in certis hominibus reperiatur, per quas veneno alijs hominibus pernicioso paulatim assuescieri possint. Certè Rex Mithridates, longo suæ antidoti vsu, non substantialem formam, sed temperamenti sui proprietatem immutauit: vt venena ei nocere nulla potuerint: tum etiã, cùm maximè cuperet. Quòd si temperamenti proprietatem venenis resistere hoc pacto potest, valdè probabile est, si non necessariã, veneni quoq; vim non tam formæ substantialis, quàm temperamenti naturam & proprietatem sequi. Simili propemodum ratione contingere videtur, vt, qui ab ouillis carnibus antè vehementer purgabatur, postquam aliquandiu ipsis vsi sunt, illisque assueuerunt, non amplius, ab illis purgantur: tanquam dissimilitudo per crebrum & longiorem vsum earum expuncta deletaq; fuisset. Hac ratione affirmat Theophrastus lib. 9. cap. 18. de histor. plantarũ quasdam Ellebore

boro sic assueuisse, vt deinceps non amplius ab eo purgarentur. Sed quid hac in re verum sit, in presentiarum non maximopere laboro, dum illud constat, facultatem qua certi homines venenis resistunt, non à substantiali hominis forma, sed à peculiari quadam materiæ temperie proficisci. Ex quo sequitur extra omnem controuersiam, istam proprietatem, qua apti homines sunt, vt à veneno interficiantur, nō à forma ita pendere, vt proprium eius accidens, aut propria facultas existat.

Non video quid obijci contra hæc rectè possit. Formam rem esse simplicem, nec nisi in subiecto concinnè preparato recipi constat. Quod ad recipiendam formam idoneum est, idem ad suscipiendas formæ facultates aptum etiam est. Equidem corpus quod humanam recipit animam, idem illud vim quoque ridendi pariter cum anima necessariò suscipit. Illarum autem facultatum, quas materiæ ratione compositum habet, longè diuersissima est ratio. Forma nanque in puncto consistit. Vnde Aristot. numeris eam comparauit: qui quauis vel adiectione, vel subtractione speciem mutant. Alia ratio est preparationis materiæ: quæ magnam habet latitudinem. Quippe indiuidua vnius speciei non similiter prorsus temperata sunt: sed inter se plurimum hac in re differunt. Nam inter summam perfectionem & extremam imperfectionem, cum qua forma in subiecto hæere non potest, quasi gradus quidam sunt, deprauationes videlicet seu diminutiones partium materialium aut qualitatum: quibus fit, vt indiuidua inter se discrepent: licet formam substantialem eandem participant. Formæ etenim, vt dicebamus, hisce gradibus non minus carent, quàm numerorum species. Quamobrem cum suis facultatibus forma nunquam & nusquam destituta sit, non huius, sed materiæ vel subiecti preparationem eiusmodi potestates consequi faten-

*Quod formam recipit, etiam facultates eius recipit.*



*Non quæ  
uis subie-  
cti mutatio  
facultates  
tollit,  
quæ formā  
tollit.*

*Nō in qua-  
libet corru-  
ptione ad  
primā ma-  
teriam pro-  
cedit disso-  
lutio.*

dum est. Quod si non quænis in materia mutatio facta ineptam ipsam efficit pro formæ susceptione, maximas omninò eas esse oportet, quæ materiæ proprias vires permutant vel abolent. Cuius rei exempla cum in alijs rebus cunctis ferè, tum in illis, quæ per Chemiam fiunt, plurima nobis occurrunt. Sæpè namq; aqua vel oleum ex planta quadam elicatum, odorem, saporem, viresque penè omnes retinet, quæ in tota reperiebantur planta. Hoc inde accidit, quod in ea totius plantæ particula, totius mistio certo quodam modo est reseruata: in qua formam totius conseruatam esse nemo, arbitrò, sanus dixerit. Non nescio, aliquando, imò plerunq; totas plantas ratione vnius partis odorem aut saporem possidere: quã si à reliquis separet, ipsas sine eo odore ac sapore sis inuenturus. Sive hoc siue illud credas (accidit enim vtrunq; in diuersis scilicet rebus,) haud est difficile cognoscere, non quamuis mutationem materiæ vires tollere, aut etiam hebetare, sed prorsus maximam eam esse oportere. In causa est, quod latitudinem magnam habet, intendi remittiq; plurimum potest, antequam vires suas omninò perdat. Hac de causa, post varias nonnunquam mutationes, qualitates ipsa suas adhuc seruat. Qui exemplo rem planius cupit scire, legat Galenum, 2. libro de alim. fac. cap. 6. de cucumere. Item expositionem horum Hippocratis verborum, Mulier, capra, elaterium aut cucumerem siluestrem edentes, pueris purgatio. Quare non est necesse, materiam hætenus mutatam, vt formæ domicilium aptum porrò esse nequeat, vnà cum forma vires suas proprias amittere. Non enim aut rationi, aut sensui, aut experientie, aut denique doctorum hominum sententiæ consentanea est illorum opinio, qui in qualibet corruptione, dissolutionem ad primam vsque materiam procedere disputant. Tam eam refutant manifestè sensus, quam cer-  
tò

tò nos docent ignem calidum esse. Quamobrem ne re-  
 fellenda quidem eiusmodi imaginatio, seu potius  
 somnium fuerit. Testimonium quod ex Aristotele ex  
 libro de Generatione ac corruptione proferunt, vel est  
 de simplicium corporum ortu accipiendum, vel alia ex  
 positione molliendum. Ita nanque intellectum, vt hi  
 intelligunt, verum esse nullus unquam homo proba-  
 bit. In præsentia sufficit indicasse, materiam, quæ pro for-  
 mæ susceptione & conseruatione concinnè præparata  
 sit, nullo alio præterea apparatu indigere ad suscipien-  
 das facultates, quas eadem secum adducit: imò in sua  
 essentia comprehensas tenet.

6 Hoc in libro illud etiam prætereundum nequaquã  
 fuerit, vires seu potestates, quas certo generi à forma  
 substantiali contributas aiunt, alijs nonnunquam re-  
 bus natura & specie distinctis communicari. Exempla  
 passim obuia sunt. Vnum atque alterum nostro insti-  
 tuto idoneum adscribam. Mesues pruna purgatura  
 bilem asseuerat, si perforatæ pruno scammonæ par-  
 ticulæ inserantur: & foramina luto probè obturentur.  
 Idem quoque affirmat, arboris fructus purgare, ad cu-  
 ius radices Elleborus prouenerit. Audiui lupum sali-  
 tarium purgatorium euadere, si ibi crescat, vbi magna  
 sit tithymallorum, aut Ellebori copia circum radices  
 eius. In decocto Ellebori & colocynthidis macerari tri-  
 ticum iubent aliqui, eoquæ pullos saginari. Horum car-  
 nem purgare strenuè asserunt. Quam sæpè forma in  
 tantis & tam multis permutationibus corrupta sit, cæ-  
 cus etiam peruidèrit. Galenus in tertio de alimentorũ  
 facultatibus, cap. 18. & in 5. de tuenda sanitate, cap. 7. af-  
 firmat, (& quidem verè) lac capræ, quæ scammoneam  
 & tithymallos vel marinam brassicam depasta fue-  
 rit, purgatorium euadere. In quinto commento sexti

*Potentiæ oc-  
 cultæ eadẽ  
 in diuersis  
 specie in  
 sunt.*

*Fructus pur-  
 gatorij quo  
 modo arte  
 fiant.*

*Lac capræ  
 quomodo  
 purgatori-  
 um euadat.*



Epidem. in expositione penultimæ sententiæ (In qua idem Hippocr. nō de capra modò, verum etiam de mulieribus affirmat,) de coturnicib. præterea addit, quod huc etiam pertinet. Illud insuper quosdā afferuisse ait, (quorū ipse probare videtur sententiam) comestorum vires non in sanguine tantum & lacte animaduerti, sed etiam in sudoribus deprehendi, alijs que excrementis: quod etiam Hippocr. lib. de morbis, 4. affirmavit. Hinc est, quod non parum referre putet, quo siue mulier, siue animal cibo vsus sit, cuius lacte salubriter vti velis. Ita ossibus canes nutriri præcipiebat, qui ipsorum stercore vtiliter vti solebat. Hac etiam de causa lupinum stercore non similiter valere quodlibet putatur: vt reliqua omit- tam. Ergo sanguini atque adeò lacti communicata virtus purgatrix est ab illis plantis, quas perederant capre. Ex quo necessariò concludetur, vim purgandi in talibus plantis, non fuisse, aut etiam nunc esse, formæ substantialis proprium accidens. Quomodo enim quod certæ alicuius formæ proprium est, in alia substantia, non specie modò, verum etiam genere distincta, consistere ac vigere possit? Esset hoc nil aliud, quàm proprium facere non proprium. Siquidem quod in diuersis natura subiectis reperitur, id non potest vnus eorū proprium censerī. Caliditas, quia in multis rebus inest, nullius earum propria existit. At summa caliditas, quia in solo igne inuenitur, solius quoq; ignis propria est & dicitur. Quod si formam communicatam simul cum facultate cogites, erunt duæ res diuersæ, vna. Quæcunq; enim vnā numero formam obtinent, vnum sunt: nō plura. Nisi vnā formam in duas distrahi putes: quod perquā absurdum videtur esse in proposito nostro. Sanè proprietates istæ, cū aliud non sint, quàm formarum vires quædam, non ita in ipsa insunt, vt nos in domo habitamus, (quod rectè & eruditè Galenus monuit.)

*Formæ certe proprietas non reperitur in alia specie.*

*Proprietates nō sunt in forma, vt nos in domo.*

monuit,) sed ita in ea insunt, vt non nisi ratione ab eadem distinctæ sint. Ex quo facile perspicitur, eas non posse alibi, quàm in formis, quarum sunt potestates, cogitari ac fingi. Quare si hæc cõmunes fiunt rebus alijs, formam quoq; communem fieri omninò oportet. Si diuiduæ forent substantiarum effectrices formæ, fides fortasse talia asseuerantibus haberi posset. Iam cum diuidua nulla sit, non poterunt tales potentix separata inueniri. At hoc usuuenire oportet, si derelicto suo fonte, ex quo pullulabant, alieno in subiecto inhærēt. Non debet hoc in loco institui comparatio cum palmitibus aut stolonibus plantarum: in quibus anima plantæ simul cum viribus eiusdem seruatur. Non enim hic vires plantæ absq; anima, cuius potentix sunt, alijs cuiuspiam rei attributæ intelliguntur. Deinde nõ seruatur forma in illis rebus, de quibus nos loquimur, vt in palmitate conseruatur. Quis enim scammonæ animam in sanguine aut lacte caprino inesse opinetur? Adde quod in palmitate non est eadẽ numero anima, quæ est in trunco, à quo abscissus est palmes. Sed nec pars est hæc illius animæ quædam: sed specie, non numero eadem. Proinde nulla poterit inter hæc, & ea, quæ nuper de propriarum potentiarũ separatione dicebamus, collatio institui. Nec propagare se has facultates quisquam temerè arbitrabitur: vt caliditatem sese in aquam promouere cernimus. Generat enim ignis caliditas similem sibi caliditatem, non ex igne in aquam transit, vel tota, vel secundum sui partem aliquam. Potest se ipsam quasi in aquam introducere, quia materia aquæ apta nata est, quæ ignem & desiderat ignis, quæ attingit, sibi assimilare. Quare aquæ materiam, quoad potest, transmutare tentat: quò tandem ignem ex ea generet. Illæ autẽ qualitates, quibus hoc est negatum, vt sibi similem qualitatem in proxima materia generent, nullam sui vestigiũ in a-

Occupatio.

Occultæ proprietates se ipsas non propagant.



no subiecto relinquunt, sed cū forma sua accedunt simul ac recedunt instar luminis cum corpore lucido. Solis lumen à sole separari nulla vi potest. Non enim interceptū à corpore quantumuis denso valet, vt non continuatū ad solem, & in eo tanquā subiecto inhærere videatur. Nec in aere sole occidente vllum sui iudiciū relinquit: quantocunq; tēpore eum illustrarit. Vt igitur hoc non ita potest imprimi in aerem, vt in eo absq; solis præsentia subsistat, ita occultę istę vires nunquā in alieno subiecto persistent: propterea quod se ipsas promouere instar caloris nequeunt. Si enim possent, formas etiā suas introducere in proximā materiā eadē ratione possent. Quod enim formę vim in se suscipere eo potest modo, vt tanquam formam in se seruet, ipsam quoq; formam recipere poterit. Quod si etiā detur, non continuo formam recipi, cum facultas ipsius recepta sit, falsum tamen foret, tales potentias ex formæ substantialis linurolatas fuisse, eiusdemq; proprias & peculiare facultates existere. Hinc perspici potest, quā non verē & non benē Fernelius affirmet, tales vires interdum eoufq; penetrare in materiam & partes crassiores, vt abente forma illiusq; temperamento dissoluto adhuc in substantia & materia inhærescant. Quanquam, vt aliâs vir ille solet, paulò antè idem hoc apertè negauerit.

Lapsus Fernelij.

Proprietates a forma substantiali insunt in omnibus indiuiduis.

7 Ad hæc omnia accedit, quòd frequenter in alicuius speciei indiuiduis per paucis, certa talis deprehenditur facultas. Quę si à forma substantiali orta fuisset, necessario in omnibus reperiretur. Quod enim per formā inest, natura & per se inest. At hæc semper & in omnibus insunt. Nō enim indiuidui vnus forma essentia differt aut virib. à cuiuslibet illius speciei forma. Quare quod vni inest non alteri, aut nō est à forma profectum, hoc est, solius formæ non est potentia, aut vniuersa philosophia falsa est. Possent hic quoq; plura adduci contra

secun-

secundam opinionem, siquidem res postularet. Quæ prolata sunt, validissimè, quod erat propositum, demonstrant.

*An proprietates occultæ sint temperamentis vires.* C A P. X.

Cum ergo nec substantiales formæ sint istæ facultates, nec eiusdem potentia essentialis ac propria, consecutarium esse videtur prorsus, ut eas vel temperamentum sine mixtionis terminos putemus, (quos *ἰσχυρῶς* Aristot. scitè alicubi appellavit) vel temperamentorum proprietates. Etenim quod alicui proprium est ac naturale, à natura derivatū oportet. Natura aut̄ uniuscuiusq; rei forma est in materia, per certū temperamentum præparata. Ergo cum proprietates istæ sint naturales quædam vires, si nō sunt ipsamet forma, aut huius potentia propria, consequetur omninò, ut materia sint accidentia, hoc est, ut sint quædam temperamentis vires. Sanè specificæ dicuntur à plerisque, propterea quod propria sint certarum specierum accidentia. Principia verò substantialia specierū sunt materia decenter apparatus, & forma. Quod igitur non à forma oritur, à materia proficiscatur est necesse. Quare cū formæ potentias non esse ostensum sit, materiae apparatus consequi eas oportet.

*An occultæ facultates sint proprietates temperamentorum.*  
*Natura cuiusq; rei quid sit.*

*Principia rerum substantialia quæ.*

*Proprietates occultæ non sequuntur temperamentis.* C A P. XI.

Verū enim verò hæc quoq; sententia ingenti difficultate nō caret. Etenim negari nequit, quin res naturales omninò plurimè, (imò fortasse oēs) unà cū efficiēte substantiæ forma potestates, quas occultas appellamus prorsus amittāt. Vivens torpedo tangentē se, imò ne tan-

*Multæ res cum forma occultas proprietates perdunt.*



gentem quidem proximè tremulum reddit: ( sicut alii scribunt ) mortua non modò nihil horum potest, sed etiam in cibos sine vlla noxa venit. Echeneis piscis, cum viuit, nauem remoratur: ( si fides habenda est Aristoteli de hac re dubiè loquenti ) mortuus verò, ne si totam quidem nauem talibus operias externè, & repleas, imò etiam oneres, internè, vel minimum impedit. Struthionis viuientis venter ferrum conficit: Mortui venter nihilo plus agit, vel in ferrū uel in aliud quodlibet corpus, quàm alterius animalis mortui venter. Ratio eadē est complurium aliorum. Hæc exempli tantum gratia recensere libuit, vt quæ totam causam planissimè declarant, illustrent, probent. Qui his non est contentus, animi oculos circumferat, & nullo non in loco reperiet, quæ eum erudiant. Ab eadē fieri causa perspiciet, quod animalia vix dum nata inter familiarem & noxium cibum distinguunt: quod ouis lupum nunquam visum fugit: quod grunnitu suis terretur Elephas: quod ad cantum galli expauescit leo ( si tamen vtrunq; hoc verum est. Causas certè vt dubitem, de posteriore præsertim, habeo minimè leues: ) quod anas aquam petit, in ea quæ natare cum nō didicerit vnquā nouit: & tandem quod res omnes admirabilia quædam edunt opera: quorum causæ intelligi à nobis nequeūt. Et vt sol oriens lumen nobis adfert secum, & occidens idem illud à nobis aufert, nullo post se indicio eius relicto, ita facultates istæ cum formis suis adueniunt, & cum iisdem recedunt, vt ne animaduerti quidem vestigium aliquod post earum abitum possit. Horum quia plurima quotidie fieri videmus, non admiramur: vt prudenter Auic. in libello de medicamētis cordis ægritudinibus occurrētibus, ( quæ locum supra citauimus, ) admonuit. Certum nihilominus est, non minus admirabili virtute fieri nonnulla ex ijs, quæ quotidie aspiciamus, quàm quæ rarò fieri cernimus.

*Anim. alium  
occulte vi-  
res.*

*vstata etsi  
admirabilia  
sunt, nō de-  
miramur.*

mus. Ex iam commemoratis liquidò apparet, in plurimis rebus, si non in omnibus, occultas potestates inesse, quas à forma substantiali verè nasci dependereq; iudicandum sit.

*Duo sunt genera occultarum proprietatum.*

C A P.

X I I.

**I**N tanta rerum simul atq; opinionum discrepantia quid dicemus? Argumenta rectè dissolui non facile possunt. Vtrinq; sunt, quæ sensu testimonio verissima cõperimus: quæq; negari nec debent nec possunt. Sanè quod aliud verè ac rectè dicere possimus, quàm nõ vnus generis, modi, naturæ, tales facultates esse nõ video. Ergo vt res fiat clarior, summam quædam de rerum viribus hic me attingere oportet. Actionum in rebus naturalibus principia sunt, ipsæ primum formæ rerum: deinde habitus: postea potentiæ naturales appellatæ: deinde qualitates primæ: & quas *πρωταίαι* nominauit Aristoteles. Sub his temperamenta contineri nullus nescit. Quia verò habitus rectius creditur actionis modum quendam efficere, quàm actionem gignere: (Nam per habitum non agimus simpliciter, sed facilius & rectius agimus) cumq; in rebus anima carentibus, quales ferè sunt medicamenta, locum nullum habeat, non est, cur de eo plura nunc dicamus. Nec de qualitatibus primis seu *πρωταίαις* longior nobis sermo habendus, dum nõ inquirimus notas facultates, sed occultas & abditas peruestigamus. Restat igitur, vt vel in forma, vel in temperamento, vel in vtriusq; vires latentes illas quæramus. Cum formã nomino, proprietates siue potentias eius simul intelligo. Duo proinde sunt abstrusarum potestatum genera: quorum alterum formę tribuitur: alterum temperamenti proprietatem consequitur. Quoniam enim formarũ potentię rebus saluis abesse nõ possunt,

*Principia actionũ in rebus quæ & quot sint.*

*Habitus actionẽ non efficit, sed lemitat.*

*In quibus quærendæ sint abditæ facultates.*



ac multas nihilominus occultas vires aboleri cōtingit absq; rerum, in quibus insunt, corruptione: plurimas quoq; post formæ ablationē remanere cernimus, omninō tenendū nobis est, nō omnes eiuscemodi facultates formarū esse potestates. Nam quæ tales sunt, certæ speciei indiuiduis omnibus semper adsunt: qualia propria quarto modo Dialectici: essentialia potērias (*δυναμεις & σιώδες*) Physici vocant. Quæ in paucis solū speciei indiuiduis inueniuntur, nō ē forma, sed ē peculiari temperie, quæ *ιδιοσυγκρασία* Medicis nuncupatur, manā.

*Proprietates formarū quales sint.* Quæ in plerisq; vel omnibus reperiuntur, nec cum formis abeunt tamē, temperamenti soboles, & accidentia quædam, censerī debent: nō pro substantijs aut substantiæ partibus, vt sic loquar, habendæ sunt. Manifestū ergo nunc fecimus, abditarū potentiā duo esse genera: & earū alteras rebus essentialiter & propriē inesse, cum sint formarū substantialium *δυναμεις*, & veluti partes alteras qualitates existere, quæ propter temperamenti proprietatē in rebus inhæreant. Magnum porrō inter utraq; discrimē est: quod partim ex iam dictis, partim ex dicendis, vniciq; perspicere licet. Etenim essentialia facultates à rebus, quarū sunt facultates, separabiles nō sunt. Quamuis actus earū secundi possunt impediri: tamē primi tolli nequeunt: quin res ipsa corrupta sit. Non vim videndi ab homine, quantisper homo permanet, abstuleris vnquā: sed ne rideat varijs cruciatibus alijsq; modis facile perfeceris. Herculei lapidis tractationem præpediri aiūt, si is alijs succo perungatur: aut Adamantis interuentu. Verūm his fidem habeat, qui velit. Nos interim in cunctis rebus mixtis essentialia potestates Elementorū non tolli scimus, tamen si actus eorū secundos vehementer retundi & impediri compertū habeamus. Ignis certē in vino actu non calefacit: tamen si potentiam calefaciendi nequaquam amiserit. Aerugo etiam cum oleo & terra permixta carnes nō erodit: licet

*Quæ proprietates ac cidētia sint.* Duo sunt abditarum potestatum genera.

*Quo differant inter se occultæ materie ac formæ potestates.*

*Ignis in vino non calefacit actu. etsi potentiam calefaciendi non amiserit.*

erodendi potestatem integram conseruarit. At alia potestates cum temperamenti certum gradum comitentur, nonnunquam deleri possunt, rebus, quibus insunt, incolu-  
 mibus permanentibus. Non enim pereunt res continuè, ac mutatum quouis modo est temperamentum: sed cum fines & latitudinem excessit, quæ formæ propria est. Quælibet enim forma temperamentum requirit certum quidem, attamen sub latitudine quadam: quæ in plurimis rebus tanta est, ut quamuis formæ adhuc congruat, illotamen gradu careat, propter quem certæ actionis causa existit. Equidem inter priuationem & habitum, seu formæ perfectionem, diminutiones ac deprauationes partium materiæ plurimæ sunt: nec quælibet materiæ qualitatiumue ipsius auctio vel diminutio formam ex subiecto pellere apta est. Hanc ob causam non easdem quouis in loco enatæ plantæ vires retinent: tametsi naturam & substantiam neutiquam mutauerint. Hinc est, quod qui vinum prius ferre non poterant, postea utiliter & iucundè eodem vtantur. Altera differentia est, quod substantiam constituentes potentia, præsertim verò 2  
 animatæ plerumque actus secundos promunt, quoties conuenienti obiecto occurrunt, absque externo adiuuulo. Magnes certè actu semper est, semperque ferrum ex iusto interuallo, si à re nulla externa impedimentum obijciatur, ad se pertrahit: nec eget ad id opere illius rei extrase positæ. Sic oculus naturaliter affectus in medio illuminato præsentibus coloribus videt absque eo, ut extrinsecus adiuetur. Sic plantæ familiares sibi succos præsentibus virtute insita perpetuè attrahunt, alterant, cõcoquunt, mutant: modo secundum naturam habeant. Sic ignis simplex continuè calefacit: aqua simplex semper humectat: nullius externæ rei impulsus expectant. At facultates occultæ (De notis aliter loquendum est) quæ materiæ ac tempore peramenti proprietatem sequuntur, externo principio indi-

Potentiæ for-  
 marum nõ  
 reducuntur  
 in actum se-  
 cundum à  
 principio  
 externo.

Potentiæ ma-  
 teriales à  
 principio  
 externo a-  
 ctus reci-  
 piunt secun-  
 dos.



gent ad hoc, vt actus secundos proferant: quod cum in alijs, tum in pharmacorū viribus maximè est evidens. Quamquam enim aliæ alijs actui sunt propiores, ple- ræq; tamen non prius agunt, quā ab insito calore subie- cta eorum soluta & corrupta sint: vt remotis & secretis partibus alienis, à quibus efficientia earum obtundeba- tur, liberius agant. Quemadmodum vis ignis, quæ in vi- no est, ab admista aqua eo vsq; hebetatur, vt obscurius multò calefaciat, quam cū per distillationē aqua se- parata est (quis inficietur manifestiorē esse ignis facul- tatem in vino distillato, quod aquam vitæ nominant, quam in integro?) ita fermè occultæ potestates actus suos tunc exerunt euidenter, cū à congenito nostro ca- lore velut ex profundo ad superficiē protrahūtur. Ergo licet omnes abditæ potestates, quæ in rebus naturalib; insunt, respectu actuum suorum potentia sint, non actu (sunt enim vel actus vel qualitates in materia) ingens tamen est inter ipsas discrimen. Etenim substantiales quantisper secundum naturam affectę sunt, ab externis causis nullis impediuntur, & obiectum habēt præsens, semper agunt. materiales autem tunc etiā cū natura- liter constitutæ sunt res subiectæ, in se ipsis causas te- nent propter quas agere nō possunt: & ob id principio externo, à quo in actum perducantur, omninò indigēt.

Ex modo dictis alia emergit discrepantia. Nam forma- rum potestates tantò agunt illustrius, quanto subiecta perfectiora meliusq; disposita possident. Materię autē facultates actus secundos tunc ferè solū perfectissimè proferūt, cū subiecta soluta & quodammodo corrupta sunt. Equidē pharmaca occultè aliquid agētia vix agūt, nisi vel in puluerem trita, uel aliter corrupta propinen- tur: quò in corpore ocys actū recipiant. Integra profe- ctò nulla intra corpus sumēda proponūtur: quomodo nonnulla fortasse foris admoueri haud ineptè possint.

Potētia for-  
males inte-  
grè, mate-  
riales corru-  
pta euiden-  
tius agunt.

Distin-

Distinguuntur hac etiam ratione, quod substantiales in omnibus speciei individuis necessariò insunt: quod de materialibus non item affirmari debet. Ut enim ex his aliquæ omnibus adsint, non tamen necessariò semper adsunt. Plurimæ quoq; reperiuntur in paucis quibusdam, non in tota specie. Patet ex prædictis duo esse occultarum virium genera: quorum alteræ substantiales vocari possunt ac debent: cum substantiam constituant, hoc est, formarum potentiæ ac velut partes existant: alteræ accidentales & materiales rectè nominantur: cum materiæ qualitatem seu temperamenti (quod substantia non est) ac mixtionis sequantur modum. Tertium genus nullum habetur: aut mihi saltem incognitum est. Et si enim admirabiles illæ vires, quæ in materia & veluti cadaueribus plantarum rerumq; aliarum deprehenduntur, propter formam in eis procreata sunt, non sunt tamen: formarum partes: cum ea perempta in materia remaneant. In Rhabarbari semine (exemplo isto liberem declarare) vis inest substantialis talem tantumque succum ex terra attrahendi, qualem quantumque certo modo alterare & coquere potest: ut ex eo tale corpus, ex tot ac talibus particulis, suo ac certo modo temperatis & mixtis, constans progeneretur: quale sine hac ingenerari non potuisset. Verum in huius generatione corporis forma Rhabarbari effectoris habet rationem. Quare à re effecta separari non minus potest, quam opifex ab opere seu ædificator ab ædificio seiungivalet. De occultis potestatibus effectricibus (*ειεργητικαίς* siue *μηχαναίς*.) huc usq; præcipuè locuti sumus: quæ quia facile *παθητικαίς* accommodari possunt, labore eo supersedebimus. Illud monuisse sufficiat, ex prædicta declaratione & distinctione nullo labore tum ad supra propositas rationes aptè respõderi, tum problema-  
ta. alia huic disputationi. affinia rectius dissolui. Hinc:

4  
Potentiæ materiales non sunt necessariò in omnibus speciei individuis.

Genus occult. facult. tertium nullum est.

Omnes occulte potentiæ à forma oriuntur, etsi quædam materiã sequantur.



Cur aliqui  
à caseo, vi-  
no. &c. ab-  
horreant.

enim causa peti debet, quod quidam homines, non omnes, à caseo, alijs, capis, vino, & similibus rebus, natura abhorrent. Hæ proprietates àtatis decursu, pro varia corporis ac temperaturæ mutatione: pro consuetudine, victu, & similibus, aliquando permutantur. Quod quomodo fiat, à Galeno cùm in alijs infinitis fœmè locis, tum in libro de consuetudine scitissimè expositum est. Huius generis illa quoque fuit qualitas in Mithridate, qua se tutum ab omni veneni noxa reddiderat. Talis & illa existimanda est, qua Atheniensis anus cutæ affuevit. Huc etiam pertinet, quod aliqui feles, (cattos appellatos,) ita habent exosos, vt nisi è loco in quo ipsi sunt, expellantur, in animi deliquium incidant. Exempla huius farinæ infinita quotidie nobis occurrunt. Nec mirum alicui videri debet tales qualitates materiam consequi: cùm præsertim colores, odores, sapor, res, tam varios, tamque admirabiles hinc gigni cuncti ferè sciant. Hæ proprietates licet occultæ & sint & dicantur, atque à nobis vix, imò ne vix quidem percipi queant, non tamen perinde sunt imperscrutabiles, & remotæ ab intellectu hominis, vt priores. Verum de hac re postea fortasse plura dicemus.

Que pro-  
prietates  
magis mi-  
nusq; per-  
scrutabiles.

*De occultarum proprietatum definitionibus,*  
Cap. XIII,

**N**unc quia definitio aptè ac breuiter rerum naturas comprehendit ac declarat, tentandum est definitione, seu potius descriptione aliqua, vtrumque genus adumbrare. Prioris generis occulta facultas nil est aliud, quàm vel ipsamet substãntialis forma, in flu Dei composito cõcinnè præparato inherens, itaque agens, vt causa reddi actionis ipsius nequeat: vel certè potentia seu virtus quædam formæ, per quam illiusmodi agitur.

Proprietas  
occultæ  
primi gene-  
ris descri-  
ptio.

patitur. Posterior autem qualitas quædam est temperamenti ac materiæ ferè proprietatem consequens. Dixi materiæ ac temperamenti proprietatem comitari, quia non ambigo certas indiuiduorum hominû proprietates, non tam humani corporis temperaturam sequi, quàm materiæ, ex qua in vtero facti, & tum intra tum extra vterum nutriti sunt, peculiarẽ naturam atq; facultatem. Quanquam non nego, ad temperamẽtum hanc etiam aptè reduci posse. Addidi in descriptione, iussu Dei, vt, vnde istæ facultates originem ducant, obferuetur. Etenim idem est vtriusq; ortus, cùm causam efficiẽtem quærimus. Quod enim formã dat, simul quoque vniuersã illa contribuit, quæ formam in composito necessariò comitantur.

Proprietatis occulta  
secundi generis descriptio.

Occultarũ virium origo.

De formarum origine. Cap. XIII.

**D**E formarum porrò natura & ortu, variè differitur à philosophis tum antiquis tum recentioribus.

Formarum origo quæ sit.

Et in hac disceptatione, incertis principijs, quæ animos nostros explere nequeant, plerique omnes hodie quoque niti malunt, quàm apertam solidamque profiteri veritatem. Credo quia verentur, ne parum philosophi putentur esse. Imò verò si Aristoteles veram formarum originem, ita, vt nos nouimus, percepisset, philosophiam nobis haud paulò cõcinniore, puriore, melioremque reliquisset. Alij cum Platone Ideas formarum effectrices causas ponunt. Eo posteriores Animã, nescio quam, mundi introduxerunt. Auicenna decimam intelligentiam quandam, (quam sua lingua, puto, Cholcodeam appellauit.) excogitauit, cui hoc munus imponeret. Galenus anceps est: nec satis quid statuatur nouit. In fine libri de foetus formatione, vt alia omittam, in Platoniorum castra iturus videbatur, nisi impium censuisset, mundi Animam authorem

Plato.  
Platonici.  
Auicenna.  
Galenus.



muscarum, culicum & similibus animantium facere. Præterea parum ei credibile visum est, materiæ Animæ tantam artem, quanta in rebus creatis cunctis conspiciatur, assequi potuisse. Thomas Aquinas cum recentioribus ferè omnibus statuit, separatas substâncias siue intelligentias apud se intellectas formas, corporum cœlestium virtute, rebus imprimere. Vtriusq; vestigia principij in omnibus apparere aiunt. Cœlestium quidem corporum, quod per motum & in tempore producantur. Substantiarum verò abstractarum, quod ordine certo ad determinatum cuncta finem progrediantur. Huius sententiæ Aristotelem fuisse quidam perhibent: quidam aliter iudicant. Cum eadem ferè faciunt, qui nescio quæ spiritum cœlestem rebus omnibus permisceri fingunt à quo naturam vimq; suam omnem vniuersa mutentur. Aristotelei modò in connexum quandam causarum inferiorū & superiorum: modò in naturam quandam vniuersalem referunt. Propius ad rei veritatem, (siue ita senserit Aristoteles, siue aliter,) accedunt, qui eum virtutem formatricem in semine cum calore, quo tanquam instrumento vtatur ad corporum fabricam, posuisse aiunt. Hanc vim, quæ potentia inest, in actum à conueniente calore (in apto & idoneo loco) produci oportet: vt ab ea mox reliqua perficiantur. Absurdus Astrologi certis astrorū figurationibus, & fictitijs quibusdam imaginibus, adscripserunt hanc functionem. Hos non valdè miror delirare: quippe qui mirificè fabulis delectentur. Minus etiam antiquos miror anxie principia harū rerum inuestigasse, nec inuenire tamen, quod satisfaceret, potuisse. Carebāt enim luce quæ cœlitus nobis affulsit: & certiora de his rebus docuit. At non stros homines vehementer demiror, qui, cum illustriora firmioraque multò haberent, antiquorum obscuriora incertisque vestigijs insistere nihilominus maluerunt.

Obscu-

Obscuritatem incertitudinemq; rei authorum sententia diuersa plus satis probat. Tentandum nihilominus est aliquid hic etiam certi adferre. Vix enim, quae de proprietatibus occultis diximus, percipi possunt, hac re non declarata.

*Quis formarum dator sit. Cap. XV.*

**S**I quid id sit, quod formas rebus omnibus impertit, sper quas hoc ipsum sunt, quod sunt, ex me interrogas, planissime respondebo, nil aliud esse, quam vim potestatemq; diuinam cunctis rebus creatis ab initio insitam. Hac non ex caelo astrorum conuersionibus rebus singulis acquiritur. Non ab intelligentijs creatis materie inseritur: Non denique aliunde infunditur: sed iussus Dei est ab initio rebus singulis inditus. Quin nil aliud est Natura, quam iussus ille Dei, per quem res omnes hoc sunt, quod sunt: & hoc agunt, quod agere iussae sunt. Hic, inquam, non aliud quidquam, cuique rei suam dedit speciem atque formam. Per hunc non agunt modo pro sua natura, hoc est, prout praecipit ipsis est, res creatae omnes, sed per eundem reguntur, conseruantur, propagantur: & nunc etiam quasi creantur. Non enim ut existerent duntaxat iussit Deus, verum etiam ut se ipsa ita propagarent, sicut ab ipso condita fuissent, imperauit. Nec fuit inanis ille iussus, sed prorsus efficax. Dum enim iussit, vim simul contribuit suam singulis: qua, quod iussa essent, perficerent. Quare non aliunde formam naturamque accipiunt, quae gignuntur etiam hodie, quam a Deo siue diuina potestate: qua existunt vniuersa. Neque minus iam mandato eius parent, quam ab initio, cum non essent, ac esse iussa statim existerent. Scitum ergo a quibusdam est dictum, Deum hodie quoque creare, dum creata conseruat: propterea quod conseruatio non re, sed *weisäsa* solum a creatione distincta est. Non enim

*Dator formarum quis sit.*

*Quid sit natura vniuersae dicta.*

*Formam rebus cunctis indit Deus.*

*Creatio et conseruatio re non differunt.*



aliud est conseruatio,quàm perpetuata siue continuata creatio. Quod ab initio, cum inchoatum repenteque ex nihilo productum esset, creatum dicebatur, idem illud nunc, dum continuatur, vocatur conseruatum. D. Aurel. August. minimè veritus est dicere, creaturas non solum creatas esse, verum etiam continuè creari. Cuius postea sententiam multi sequendo probarunt, probandoque secuti sunt: & exemplis ac ratione illustrarunt. Ut à sole, inquit, aerem non illuminatum modo, sed etiam illuminari verè ac rectè dicimus, ita hic etiam res quodam modo habet. Etenim sicut absq; solis præsentia lumen in aere persistere non valet, ita creatura sine creatoris sui conseruatione nullo temporis puncto consistere potest. Item sicut rei grauis sublatio de terra in altum differt à sustentatione eiusdem in alto, sic propemodum creationem à creatorum conseruatione differre putandum est. Quemadmodum enim res illa subtractis manibus repente deorsum cadit, ita si potestas diuina, qua cuncta Deus creauit, erepta rebus fingatur, statim & in nō tempore ad nihilum omnia reuertitur, seu redacta iri. Huc & illud Christi apud Ioannem rectè accommodant, *ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, καὶ γὰρ ἐργάζομαι.* Neque cogitandum est discrimen esse, quatenus ista comparamus. Nam probabilius videbitur rem attentè & subtiliter consideranti, lumen absq; lucido corpore consistere posse, & rem grauem in aere sublimem absq; sustentaculo pendere, quàm quæ ex nihilo facta sunt, non in nihilum abire, nisi ab eo sustineantur, qui, cum non existerent, existere infinita virtute repente fecit. Nemo tam est rudis, qui nō norit ac intelligat, quod nihil fuit, in nihilum abiturum, cum primum ea facultate destitueretur, per quam productum fuit. Nulla philosophia negat, res omnes à Deo, vt auctore omnium, pendere: & ab eodem habere, vt sint. Quod si sibi relictæ

*Sol aërem  
continue il  
luminat.*

relictæ consistere adhuc possent, non à Deo dependerent. Quare cum non minus sit difficile res ex nihilo factas conseruare, quàm easdem ex nihilo producere siue creare, neq; alia vi Deus fecerit, alia conseruet, rectè sanè dicitur, conseruationem esse quandam continuatam eorundem productionem.

Conseruatio quid.

*An rerum forme ab astris pendeant. Cap. XVI.*

Nihil igitur ad horum conseruationem, interroget aliquis, astra conserunt? Nihil omninò: quòd ad hanc rem pertinet. Equidem vt sine cœlorum, & hisce assistentium (secundum philosophos) intelligentiarum ministerio vniuersa creauit, ita absq; eorundem famulatio creata sustinet atq; conseruat. Loquor de natura eorum insitisq; ab eo viribus cuiq; rei proprijs, nò de dispensatione eorundem. Non enim nego Deum, quæ fecit, dispensatione quadam cœlorum conseruare actueri: vniuersali videlicet ratione. Quod vt pateat magis, obseruandū est, herbas ac plantas omnes, ante astrorum creationem fuisse perfectas. Non ergo cœlū formam, & quas secum ipsa trahit vires, istis, vt nec animalibus cæterisue rebus, dedit. Pendent enim è superioribus inferiora, vt ab vniuersalibus & æquiocis causis, nò vt à causis vniuocis. Aliter enim sol, & aliter homo, generat hominem. Non Sol, sed homo, nascenti præbet homini formam: tamen si solis efficacia, vt causa vniuersalis, non sit prorsus ociosa. Non enim Soli dictum est, vt hominem generaret: sed homini præceptum est, (sicut & cæteris rebus viuentibus,) vt se multiplicaret. Quocirca non cœlum, sed Deus homini vim generandi dedit. Formæ igitur omnes à Deo sunt rebus cunctis primum datæ. Quod si cœlum principiò formas non dedit, ne nunc quidem dat. Is enim qui dedit, vt se propagarent, iussit: non cœlo vt multiplicaret,

Astra non vel dāt, vel conseruant proprietates rerū occultas.

Cœlestium munus.

Cœlum nō dat formā.

Non astris, sed homini datum est, vt hominē generet.



*Ex putredi-  
ne orta quo-  
modo pro-  
pagentur.*

præcepit. Etenim semen proferre voluit, quo se propa-  
garent, & in omne tempus promouerent. Quod si qua  
sunt vel animantes vel plantæ, quæ non aut per semen  
aut stolones & surculos multiplicatæ generatæq; sunt,

earum semen proculdubio, iussu ipsius, ita nunc quoq;  
terra in se continet, vt ab initio continebat. Quemad-  
modum enim tunc, cum iuberetur vestire sese omni plan-  
tarum genere, paruit, ac certo cum cæteris elementis  
modo se miscens, illas, quas videmus, produxit, ita po-  
test hodiè etiam iussa producere. Quid, quod iam quo-  
que non est facilius vlli creaturæ ex semine aliquid fa-  
cere, quàm fuit Deo facilè ex terra euocare? Quare  
præter Deum nihil potuit plantas ex terra educere, nisi  
ex semine quidem iam vlla creatura gignere poterit.

*Formam  
indere ma-  
teriæ quid  
sit.*

At formam rebus indere, nihil aliud est, quàm gignere  
aut certè parum ab eo differt. Quibus fit, vt meritis  
danda sit Astrologorum vatium ineptia, qui hanc gignere  
potestatem attribuunt: præsertim cum nullibi legamus  
Deum aliud mandasse cœlis, quàm vt diem, noctem, me-  
ses, annos, & huius tempora calore & lumine distingue-  
rent indicarentque. Iuxta hanc mutationem, res singu-  
laræ pro natura, quam non à cœlo, sed à creatore accep-  
re, oriuntur, mutantur, occidunt. Etenim Deus ista om-  
nia cœlorum conuersionibus, non quidem facit, sed cœli  
seruat ac tuetur. Nam fiunt ac generantur pleraque  
causis vniuocis, non ab æquiuocis, quales cœli sunt, his

*Intelligen-  
tiæ cœlorum  
nō dant for-  
mas.*

sce nostratibus rebus comparati. Aequè ridiculum v-  
detur, succenturiatas cōstituire intelligentias: quarum  
seruitio res iam antè creatas conseruet, atque suis for-  
mis exornet. Quid hoc aliud est, quàm Deum cunctos

fin gere Platonicos, quibus operis incepti  
partem demandarit  
Deus?

*Philosophia studio nihil detrahè, si Deus ponatur  
rebus suis formas tradere.*

C A P. XVII.

**S**ed cogitabis tecū fortasse, si rebus omnibus talibus esse iussit Deus: tali forma & viribus dotauit: inutile est philosophiæ studiū. Satis erit dixisse, quod Galenus etiam Mofi parū piè ac rectè obiecit, Deum ita voluisse. Ad hanc obiectionem, non est difficile respondere: præsertim cū idem obijcere alijs quoque omnibus, quameunq; tandem sententiam probent, possis. Idem enim Platoni Ideas ponenti rectè obieceris. Idem Platonis mundi Animā per omnia diffusam statuentibus. Idem Auicennæ decimam ad hoc officium intelligentiam fabricanti: aut potius fingenti. Idem cæteris omnibus siue abstractas formas, quas intelligentias nominant: siue coelestem spiritum: siue astrorum positum: siue imagines fictitias cœli, nescio quas: siue rationes seminales: siue deniq; naturam vniuersalem pro causā ponant. Omnes etenim, quam sibi confixerūt, causam, cuncta hoc pacto perfecisse asseuerabunt. Qui cum nihil melius respondere ad propositam obiectionē possint, quàm quod nos respondemus, quomodo, si pro falso dogmate statuendo ipsis utilis esse potest, eadem illa, non multò magis nobis pro veritatis defensione proficit? Quid enim aliud pro responsione adferant, quàm quod Galenus immeritò Mosen arguens lib. de vsu part. II. cap. 14. respondit? Vnusquisq; enim quam credit causam esse formarum, hanc rebus omnibus formas atq; facultates cum ea tales inseruisse ac donasse, quales recipere aptæ essent, affirmabit. Hoc inrer nos & illos interest, quod illi præparationem materiæ præcedere oportere opinati sunt: nos verò vnà cū forma ipsam quoq; materiam eiusdemq; præparationem ex nihilo

*Vera de formarum ortu sententia, nihil derogat dignitati Philosophiæ.*

*Differentia inter nos et Gentiles de formarum ortu.*



Generatio-  
nis & crea-  
tionis indi-  
cium in scri-  
ptura san-  
ctâ.

existisse, Deo ita mandante ac volente, cum scriptura affirmamus. Nec dubitamus omnia post illud initium ita generari & fieri, ut tunc iussa sunt: (scilicet non sine præeunte præparatione ac motu,) nisi si aliter præter & contra ordinem naturæ efficere aliquid vult Deus. Cuius rei indicium aliquod in ipsis scripturæ verbis elucet. Cum enim quæ non erant, esse iuberet Deus, mox atque esse iussit, exstiterunt. Postea factis rebus præcepit, ut crescerent, multiplicarentur, & terram replerent. Hoc perinde est, ac si iussisset res certis mutationibus præcedentibus generari. Qui mundum aliquando incepisse nobiscum consentunt, idem hoc, velint nolint, concedere coguntur: quibus quibus tandem verbis atque modis factum cum describant. Auicenna certè aliter non loquitur, quàm nos loquimur: id quod ex toto eius opere de medicina facile apparet.

*De mundi æternitate nonnulla dicuntur.*

C A P. XVIII.

Aristotel.  
mundū po-  
nit æternū.

**A**Tqui Aristoteles, inquit, factum aut initium habuisse negat: sed æternum esse contendit. Esto, senserit hoc Aristoteles. An ideo credendum adherendumque ei magis fuerit, quàm veritatè quàm rerum omnium operifici & conservatori Deo ipsi semet in Top. suis fatetur, rationes, quas ad probandam mundi æternitatè excogitasset, probabiles, non necessarias esse. Et tales quidem eas nihilò firmiores esse, philosophorum aliqui, dum easdem refellere conati sunt, iam olim declararunt. Averroei certè persuadere illis, quas tum in lib. de Phys. auscult. tum alibi protulit, minimè id potuit: quantum in summo eum honore semper habuerit: & tantum non pro Deo adorarit & coluerit. Non nisi inuitus ab eius sententia discedit. Lenit igitur hic quoque Præceptoris sententias: & ingenerabilem esse mundum concedit: si per

per mutationem, qua iam nasci natura constantia cer-  
nimus, factus putetur. Profectò qui non prorsus men-  
re caret, aut incepisse eum, aut Deum ipsum esse con-  
cedet finitum & palpabilem: magnaq; insuper ex par-  
te corruptioni obnoxium. Quid quod Aristoteles ipse  
met ita frequenter loquitur, ac si factū à Deo credidif-  
set? Tale est, quod multoties dicit naturam & Deum ni-  
hil frustra facere. Alibi sic scriptum reliquit: *σωεπλη-  
ρωσε τὸ ὅλον ὁ θεός, ἐνδελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν*. Et qui-  
dem in ipsius philosophia plurima sunt, quæ satis expli-  
cari & intelligi nequeūt: nisi perinde ea exponamus, ac  
si factus aliquando sit. Necesse est aliquid poni primū,  
aliquid secundum, & tertiū & quartum: ex quibus dein-  
ceps omnia alia certo quodā ordine ac modo fiāt. Post  
cœli & terræ creationem, aquæ & terræ separationem,  
iussit Deus ex terra omnis generis naturæque plantas  
cum suis seminibus prodire. Deinde animalia terre-  
stria, aquatilia, & volatilia existere iussit: suumq; om-  
nibus alimentum destinavit. Hisce omnibus ut sese pro-  
pagarent, crescerent, multiplicarentur, suo vnūquodq;  
modo præcepit: & præcipiendo, ut ita facere possent,  
effecit. An nō Aristoteles similiter ferè imaginatur pri-  
mam materiam contrariorum susceptiuam, ex quibus  
elementa primū, ex his verò alia deinceps ordine quo-  
dam nata sint? Et ut materiam istam cum contrarijs  
ab æterno extitisse fingatur, differere de istis nihilo-  
minus ita nos oportet, ac si facta aliquando fuissent:  
si modò, quæ de naturalium rerum omnium ortu di-  
sputantur, intelligentia assequi volumus. Quare ne sic  
Philosophia: si benè æstimerur. Quid igitur nos impe-  
diet, quo minus ex effectibus causas, ex compositis  
simplicia, ex obiectis actiones, ex his facultatès, &  
cætera, quæ ad Philosophiæ considerationem per-

*Sic plerūq;  
loquitur A-  
ristot. ac si  
mundum fa-  
ctū putaf-  
set.*



Natura est  
ordinaria  
Dei pote-  
stas.

tinent: eodem cum alijs philosophis modò inuestigamus: Deus etenim qui talibus esse iussit, nō ea vult mutari amplius: sed permanere tantisper talia vult, dum ordinaria sua potestate, quam naturam nos appellamus, mundum conseruatum volet. Vt igitur homo ab initio factus fuit talis vt esset, ita quod tale est, fit, fiet, homo est, ac erit. Ratio similis est aliarū omnium rerū.

*Aristoteles nullibi explicatè docet, quid putauerit  
virtutem formatricem esse.*

CAP. XIX.

Natura v-  
niuersalis  
quid Ari-  
stoteli.

Formarum  
datorē Ari-  
stot. nun-  
quam expli-  
catè expo-  
suit.

QVod si Aristot. per vniuersalem naturam, vt quibusdam placet, hanc diuinam vim rebus in prima creatione insitam, qua omnia fiunt, sunt, agunt, conseruantur intellexisse iudicetur, nihil inter nos erit discriminis: quod ad hanc rem attinet. Sin virtutem formatricem in semine posuit, vt alij quidam iudicarunt, propius etiam ad nostram sententiam accesserit. Hoc principium alicubi *ψυχικὴ θεμιότητα* nuncupasse, ideoq; animorū quodam modo plena esse omnia dixisse conseruari potest. Quanquam nunquam satis explicatè ab eodictum inuenimus, quid nam id sit, quod suo certo definitoq; modo cuncta fingit ac format. Etenim quæ in Metaph. disputat, valdè sunt generalia & indefinisa. In fine 4. Meteor. dubitat, an naturā, an aliam potius causam vocet. Quo loco esse eam credidisse ipsum satis apparet: quantumuis quid eam esse crediderit, non exposuerit. Quæ de calore in semine calori siderum respondente alibi scripsit, parū explent animos nostros. Quod aliàs formam dicit hanc esse causam, non explicat omnes nodos: tamen si propius ad veritatem & scopum accedat. Sicut non eodem semper modo de hac re locutus videtur Aristoteles, ita neq; Græci neq; Latini ipsius inter-

Interpretes prorsus inter se conueniunt. Quid Auerr. & Albertus senserint, in Metaph. exposuerunt. Quæ fuerit Alexandri & Simplicij opinio ex 2. Physic. cognosci potest. Si ita sensit, vt supra dictū est, non multū à vero abfuit. Si aliter sensisse comprobetur, cur illi magis, quàm aperta veritati adhæreamus, causam nullam satis grauem perspicio. Ex iam dictis, quid formę rerum substantiales sint: vnde originem suam trahant: quo modo & per quem rebus insint, intelligi vtcunq; potest. Accuratius & planius exponere hoc loco non potui. Quantum intelligi ab homine potest, tantum penè ex proposito intelligetur. Plura quidem hac de re, quàm propositum haberem, dixi: non tamen omnia, quæ in mentem venerunt, adscripsi. Nos omnibus sequi, quod volent, permittentes, ita de proprietatum ortu naturaq; sentimus, vt multis huc vsq; exposuimus.

Interpretes  
Arist. discor  
des sunt cir  
ca virtutem  
formaticę.

Epilogus supradiCTORUM.

C A P. XX.

Cæterum quia his probè cognitis reliqua facilius percipientur, summam repetam, quæ dicta hucusq; sunt. Duas occultarum potestatum species esse dixi. Harum prior vel ipsamet forma vel huius quædam potentia, quæ vnà cum forma adueniente accedat, & cum eadem abeunte recedat, existit. Altera materiæ & temperamenti in re qualibet proprietatis est. Nō pugna bo cum eo, qui plures ponere species volet. Haud enim ignoro, nōnulla inueniri, quæ neutri speciei aptari posse videantur: in quorū numero præcipuum mihi locū habere Magnes semper visus est. In præsentia satis habeo duas istas species generales posuisse. Qui vtramq; partiri in alias species volet, fortè nihil desiderabit.



Rariß. vi  
mur medi-  
camētis fer-  
mam suam  
retinentib.

Torpedo  
mortua nō  
stupefacit.

Quomodo  
Galline vi-  
uentes vene-  
num extra-  
bant.

Fernelius  
superstitio  
sus fuit.

Priores seu primi generis latentes facultates, hoc est, essentielles formarum proprietates vix habent usum aliquem in medendo: propterea quod rarissime utimur pharmacis intra corpus recipiendis, (De his præcipuè disputamus: licet, quæ dicimus minimè difficile sit etiam externis aptare) formam suam adhuc retinentibus Etenim mortua duntaxat, vt sic loquar, deo-ramus: hoc est, contusa, in puluerē contrita, exsuccata, elixa, tosta, macerata, abluta, cocta, frixa, fermentata, distillata, & alijs cōsimilibus modis præparata sumimus. Et si qua fortè integra, nulloq; ex prædictis modis mutata, & velut occisa, ingerimus, in ventriculo tamen ea transmutari formisq; suis spoliari cōtingit, priusq; actum agant: cū pleraq; (ne dicā omnia) potentia sint, nō actum quod esse perhibentur. Quæ propter subtiles & valde mordaces particulas statim mōdere nudatas cute carnes solēt, nota id potestate faciunt, nō occulta: & proinde ad hunc locū non magnopere spectant. Galenus ali quando experiri voluit, an viua torpedo in capitis dolore prodesset, cum mortuā periculo facto minimè stupefacere cōperisset. Sunt qui viuentiū gallinarū podicæ vulneri à venenato animali inflicto, ac pestiferis bubonibus admouent: vt sic venenū extrahant. Verum hoc non tam ab occulta, quàm manifesta, vt, ego quidē putato, virtute fieri putandum est. Moriuntur enim gallinæ quæ hoc modo venenū prolliciunt. Videntur id cucurbitulæ instar exsugere extrahereq;: non propter qualitatem aliquā ignotam. Auget suspiciōem hanc, quod imperāt Medici talibus Gallinis ora seu rostra occludere: vt respirare nequeant. Quæ Fernelius lib. 2. de abd. rerum causis cap. 18. de corde hirundinis palpitante de corde

corde turturis & corui : de araneis inclusis in testa iuglandis: ranarum oculis: anate viua refert, indigna sunt, quorum fiat mentio. Aut enim superstitiosa sunt: aut eumentita & falsa: quod de aliquibus ipse periculo facto certissimè affirmo: aut certè propter manifestam causam prosunt. Si quid anas efficit, calore suo efficit. Huius periculum nec dum faciendi occasio data est. In scorpionum ictu, & viperarum moribus scribitur maximum auxilium adferre animal quod momordit, si super vulnere coneratur. Sunt qui de vespis & similibus alijs idem affirmant. Sed hæc omnia externè sic admoventur: nõ deglutienda dantur: de qualibus nos imprimis agimus. Quanquã rectè dicere possimus, hæc certiam non prius iuuare, quàm mortua fuerint. Videtur quidem Galenus aliquid tribuere torpèdinis vitæ: sed si quando profuit viuens, qualitate manifesta potius, quàm occulta, contulit. Non me latet, quanto cum consensu ab omnibus fermè prædicetur admirabilis potentia huius piscis. Verũ de his rebus summa diligentia & studio inquirens, nihil inuenire certi potui. Piscatores Veneti cõplures negarunt olim tantã inesse vim huic animali stupefaciendi. Qui viuas cõtractare volet, de veritate huius rei plurimũ certè cogẽ dubitare. Sed hoc extra institutũ sit dictum. Nam hoc solum propositum fuit monere, medicamenta intra corpus sumpta non nisi mortua, hoc est, forma sua priore spoliata agere potestata occulta. Quocirca non huc pertinet morsus viperarum, canum rabiosorum, & similia. Etenim manifesta vi vulnera infligunt. Non inficiamur interim venenum, quod inter mordendum in vulnus infuderũt seu impresserunt, abdita vi lædere: sed viuere cõstanter negamus. Non enim magis viuũt, aut animalis forma informata sunt illiusmodi venena, quam alui & vesicæ recrementa.

Scorpiones triti & infricati, non xam à se illam curam re creduntur.

Non tanta vi stupefacit torpedo, quanta stupefacere scribitur.

Occulta potestata agentia nulla dantur viua intra corpus.



*Occulta pharmacorum vires à temperamento seu materia ferè proueniunt: non ab essentiali formarum proprietate.*

C. A. P. X X I I.

**M**anifestè patet ex dictis, abditas medicaminū potestates nō debere attribui formis aut essentialibus earū proprietatibus. Quare materiæ proprietati adscribere cogimur. Equidem forma substantiali incolumi permanente pharmacorū, de quibus principaliter disserimus hoc loco, vires occultas augeri, minui, mutari, acquiri, extingui, cernimus. Quamobrē eius partis proprias esse cōfiteri cogimur, quæ forma nō mutata mutari habilis est. Quod si iam in vna materia, quæ formas speciei discrepantes sibi ordine quodā succedentes receperit, eandem specie proprietatem cōseruatam perspicimus, qua ratione putabimus formarum, quæ non existunt amplius, facultates fuisse proprias? Certū est huiusmodi vires tam non manere in subiecto, in quo forma talis nō inhæret amplius, quàm est certum solis lumen in aere non permanere post eius abitū aut occasum: aut simulacra rerum in speculis apparentium nō cōseruari in speculis, cū res, quarū sunt imagines, auferuntur. Quocirca cogimur eiuscemodi potestates, nō formis, quæ perierunt, sed ei, quod remansit, assignare. Hoc autem est materiæ suis quibusdam partibus peculiariter constantis proprietatis. Pro exemplo supra attulimus Scammoniam à capra comestam: in quā chylum primum, deinde in sanguinem, postremo in lac, permutatam. Sic Ellebori radix in aqua cocta aquam reddit purgatoriam: Ellebori animam seu formam in aquam non transfundit. In tali aqua maceratus panis si à galinis comedatur, & in eis in chylum, in sanguinem, in carnes, permutetur: deniq; si hæc occidatur, coquantur, & ab

*Occulta pharmacorum vires eius partis sunt, quæ forma mutata remanet: ac forma non mutata mutari potest.*

& ab homine edantur, purgandi vim ab Elleboro acceptā, per tot substantiales mutationes conseruasse deprehēdentur. Quis hactenus insanit, vt in tali carne formā Ellebori aut huius essentialē potestatem quærat? Ergo quæ dicentur deinceps de viribus accipiēda sunt, quæ in tēperamenti aut materię proprietate cōsistunt.

Occultæ  
pharm. vi-  
res materiæ  
sunt pro-  
prietates.

*Quenam qualitatibus manifestis & quæ viribus occultis siue totis substantijs in nos agere dicantur.*

Cap. XXIII.

**S**uperest nunc, vt quot modis medicamēta materiæ suę viribus in nos agāt, ac à nobis patiātur, breuiter indicemus. Quæ in corpus nostrū recepta vel in nos agunt, vel à nobis patiuntur, ea omnia, vel solis notis duntaxat qualitatibus: vel totis solummodo substantijs: vel vtrisque simul agunt aut patiuntur. Ex his aliquam ambabus potentijs tantūmodo agunt: quædam vtraque solum patiuntur, plurima iuxta vnā agunt, & iuxta alteram patiuntur. Et vel secundum latentem virtutem agunt, vt iuxta manifestam patiuntur: vel hac agunt, & illa patiuntur. Nota qualitate agentia vel vnica sola agunt, vel duabus: pluribus non possunt, nisi totis substantijs agant. Etenim fieri non potest, vt plures in temperamentum qualitates vincere impossibile est. Quippe duas simul primas qualitates vincere impossibile est. Nam si æquē valentes sint, mediam generabunt: si altera præualeat, sola in agendo imperium obtinebit. Quare cum non possint plures quatuor coniugationibus excedere, non poterit vlla res pluribus nos primis qualitatibus alterare. Cæterum illa dicimus solis qualitatibus primis alterare, quæ exsuperantibus in mixtione qualitatibus alterant. Quæ namque non his solum atque alijs, notis viribus agunt, totis substantijs agere Galeno

Nota quali-  
tate agentia,  
non agunt  
pluribus. quā  
duabus qua-  
litatibus pri-  
mis.



*Galenus* dicuntur: à cuius sententia nunc non discedimus. Esi  
*Præter tem* enim nō probamus, quod formā substantiæ extra tem-  
*periem for* peramentum plerunque nullam agnoscere videtur, in  
*nam nullā* hoc tamen loco, in quo non formarū *dividimus*, sed ma-  
*agnoscit.* teriæ potentias inquirimus, id nobis nihil officit. To-  
*Quæ dicantur* ta igitur substantia dicimus agere, quod non vna dur-  
*tur totis* taxat duabúsue qualitatibus in mistione cæteras supe-  
*substantijs* rantibus agit, sed totius materiæ ex tot ac talibus parti-  
*agere vel* bus cōcretæ & mistæ viribus nos afficit. Sic & totis sub-  
*pati.* stantijs pati affirmamus, quæ non tantum calefiunt, frigi-  
 gesiunt, humectantur, exsiccantur, diuiduntur, extenuan-  
 tur, aut simile quippiã ab insito in nobis calore patiun-  
 tur: sed quæ ab eodem tota permutantur: & in aliam  
 speciem seu familiam transplantantur. In quibus enim  
 aliquid mansit, nomen & definitionem prioris speciei  
 retinens, qualitatibus quibusdam solis, non totis substi-  
 tijs perpeffa sunt. Sufficit in præsentia singulis specie-

*Exempla*  
*totis substã*  
*tij agentij*  
*et patien-*  
*tium.*

bus exemplum subieccisse. Ergo abdita potentia solum  
 agunt tū venena tum pharmaca purgantia: quæcunq;  
 virtute calefaciendi aut frigefaciendi, &c. manifesta cu-  
 rent. Patiuntur autem hoc modo alimenta postquam  
 in ventre calefacta & diuisa sunt: quæ medicamentosis  
 nihil in se continent. Agunt autem occulta pariter &  
 manifesta virtute purgantia propriè vocata: quæcunq;  
 apertè calefaciunt. Patiuntur vtroque modo alimen-  
 ta: dum & alterantur & transmutantur. Cæterùm agit  
 qualitate manifesta, & totis substantijs patiuntur, ali-  
 menta medicamentosa appellata: quæ scilicet manifestè  
 calefaciunt, ac nihilominus in sanguinem conuertè  
 nutriunt. Contra patiuntur notis qualitatibus atq; to-  
 tis agunt substantijs medicamenta purgantia, quæ  
 vel temperata sunt, vel frigefaciendi  
 virtute prædita.

*Quid per totam substantiam intelligere conuenias,  
plenior expositio. Cap. XXIII.*

**V**T planiora sint omnia, rursus monere hic libet, nos per totam substantiam totumque temperamentum non tantum temperiem ex mutua primarum qualitatum actione & perpeffione ortam, & in abstracto, vt vocant, consideratam intelligere, sed vnâ cum hac subiectam quoq; materiam comprehendere: hoc est, temperiem in tot & talibus materiæ partibus insidentem, siue ex tot ac talibus partium temperamentis conflata sic nominare. Quis ignorat alimenta propter simplicem temperiem non esse alimenta? Lapidés, ligna, &c. si ad primas tantum qualitates respicias, temperiem habere possunt alimentis similimam: alimenta ob id esse non possunt, quod ex longè alijs partibus coaluerunt. Cõponat aliquis fortè medicamentum in caliditate & frigiditate simile Theriaca, ex simplicib. non modo diuersis natura ab ijs, ex quibus Theriaca cõficitur, sed etiã numero longè paucioribus: at virtute simile prorsus non componat, nisi ex eisdem pharmacis cõcinnat. Facile fiat, vt duo corpora, quorum alterum ex elementis, alterum ex partibus iam antè mistis conflatum sit, æqualiter vel calida vel frigida sentiantur, nec pares tamen, sed omninò dispares habeant in agendo vires. Hoc modo in capris lac generari ex certis plantis temperie non dissimile poterit, ei, quod ex scammonæa vel tithymallis genitum sit: si gustus cõsuletur. Nihilominus tamè purgabit hoc, illud nõ purgabit, idq; propter materię proprietatē: licet in primis qualitibus discrimē percipi nõ admodum possit. Hoc inde enenit, quod nõ idē est totius atq; partiũ singularũ rēperamentum. Haud scio, an ex lactis exemplo nõ omnes facillè, quod dico, intelleturi sint. Hoc cõpositum est ex aqua, caseo, butyro: partib.

*Quid per totam substantiam intelligendum sit.*

*Lactis exemplo ostenditur quid per totam substantiam intelligere conueniat.*



notis. Ex his mistis nascitur temperamentum lactis. At singulæ partes dictæ suam possident peculiare temperamentum, diuersum à temperamento totius lactis compositi. Cùm ergo lac agit, quatenus lac est non corruptum, suo temperamento, quod ex prædictarum trium partium temperamentis inter se confusis conflatum est, agit. At cùm separantur partes, iam pro suo natiuo & proprio temperamento tantum, qualibet earum agit. Ut igitur aliquid reperiatur, quod temperamentum simile obtinuerit totius lactis temperamento, non tamen necesse est, ut ex totidē partibus & simili temperie prædictis compositum quoque sit. Potest enim ex pluribus vel paucioribus constare. Possunt eadem alia proportione conuenire, ut nihilominus omnes simul non dissimilem efficiant mixturem qualitatum, cui, quæ in lacte deprehenditur. Si, quæ sit inter temperiem & totam substantiam differentia, melius cupis intelligere, attentè legitur quæ Galenus de hac re 4. de simplic. facultatibus. cap. 11. scripta reliquit.

*Quæ à tota substantia agunt, non omnibus materiæ partibus semper agunt. Cap. XXV.*

Quomodo  
totis substā  
tijs agere  
dicantur,  
quæ nō om  
nibus substan  
tiæ partibus  
agunt.

Quædam  
purgantia  
vtilem con  
tinent succū.

**A**dmonendus mihi est hoc loco, nos, quando cum Galeno dicimus pharmacum à tota sua substantia certam habere vim, seu certi aliquid agere vel pati, non id significare velle, ipsum cunctis simul totius substantiæ suæ partibus agere vel pati. Hoc enim in medicamentis non fuerit verum. Etenim Rhabarbaricum, Aloe, ac huius generis alia plura, manifestè sententiam refellunt. Quippe non omnes Rhabarbari partes ventrem soluunt: aut purgandi facultatem participarunt: cùm nonnullæ ex eis cohibere ventrem solitæ sint. Idem de Aloe sentiendum: & quibusdā alijs. Quis nescit quædam ex purgantibus vtilem & naturæ gratum succum sortiri.

fortita esse? Rosam, violam Martiam, & similia, expendat: qui nondum credit. Adde, quòd alimenta maximè familiaria non omnibus substantiæ partibus in sanguinem transmutantur. Singula namq; aliquid continent, quod in excrementum mutatur: in sanguinem verti nõ potest. Cùm ergo Rhabarbarum dicimus virtute à tota substantia manante purgare, hoc indicare volumus, ipsum nõ caliditate aut siccitate sua ventrè turbare: sed quia in se habeat partes ex tot ac talibus particulis concretas, quæ id præstent. Quamuis enim certæ quædam partes solum, non omninò omnes, purgatrice virtute donatæ sint, sine tamen his tot ac talibus illæ pro nasci nunquam potuissent. Etenim ipsa Rhabarbari forma ea est, quæ talem ex terra succū attraxit, hoc modo mutauit & coxit, taliterq; singulas finxit ac temperauit, vt aliquæ purgare taliter possent. Quoniam igitur hæ particulae extra Rhabarbarū, & citra alias omnes eius particulas pronasci, itaq; temperari & componi non potuerent, (cuius etiam rei causa non seorsum constitère: sed vnà cùm cæteris generatæ ac mistæ fuerunt.) meritò dicimus, non particulas Rhabarbari hasce, sed totum Rhabarbarum vi purgandi dotatum esse. Quod si tales particulae, seu talia corpuscula, ex tot ac talibus temperata partibus seorsum prouenirent, iam nõ Rhabarbari, sed harum duntaxat particularū proprietatem affirmaremus. At nec extra Rhabarbarum, nec in vna eius parte distincta producuntur: sed per totam radicis substantiã sparsa generantur. Quamobrè non malè dicitur, Rhabarbarum sic purgare: cùm, quod hoc pacto purgat, in eo solo reperiatur: quamuis in omnibus eius partibus inæqualiter inhæreat. Hoc est satis, quòd partes, quæ id præstant, nec sine reliquis oriuntur, nec sine eis in plantæ parte vna aliqua reperiuntur. Quãquam si iam dicto modo separatim inuenirentur, nihilominus rectè Rha-

Omnes partes Rhabarbari etc. à forma & si mul generatæ sunt.



*Differētia  
partiū ma-  
terialiū mi-  
storū perse-  
ctorum, &  
Elemento-  
rum.*

barbaro toti ea potestas adscriberetur: dū extra ipsum gigni non potest. Et hoc præcipuè differunt partes materiales perfectorum mistorum ab elementis, quòd nō fuerunt ante compositū: nec extra ipsum nasci poterunt: sed propter formam in materia existentem simul omnes in composito generatæ sunt. Aliàs instar Elementorum post compositum remanent: atq; separabiles à se inuicem eodem modo existunt. Quod si ante compositum existere possent more Elementorum, nullum esset hac in parte discrimen inter partes mistorum mixtas & simplices. Omnes igitur abdita potētis seu proprietates rerum propter formas & à formis in proprijs subiectis producantur: at nō ob id omnes sunt formarum essentialia potestates. Nam in materia multæ post formæ interitum, sicut exposuimus, permanent. Ex iam dictis rursus intelligitur longè aliud nos dicere, cum facultatem eiusmodi aliquam à substantiali forma orram asserimus, quàm cum eiusdem essentialem proprietatem affirmamus. Illa enim in materia, forma permixta, remanet, hæc cum forma accedit pariter ac recedit.

*Quis sit v-  
sus in cura-  
tione occul-  
tarum pro-  
prietatū se-  
cundi gene-  
ris.*

*Hepatico-  
rū medica-  
mentorum  
duo sunt ge-  
nera.*

*Medicamē-  
ta hepatica  
nota quæ  
sint.*

*Duo sunt hepaticorum medicamentorum genera:  
occultum & manifestum. Cap. XXVI.*

**T**Empestiuum iam est, vt quem vsu in curationibus habeant ignotæ secundi generis facultates explicemus. Quod vt faciam commodius, pro exemplo ea mihi sumam, de quibus tu præcipuè interrogasti, hepatica scilicet aut splenica vocata medicamenta. Ac primum quidem scire expedit, duo esse medicamentorum genera hepaticorum, quorum altera nota, altera ignota nobis qualitate prodesse dicuntur. Prioris generis sunt, tenuia, incidendi abstergendiq; facultatem citra vehementem calorem, ac præterea nonnullam vim adstrin-

adstringendi possidentia. Incidendi facultate atque ab-  
 stergendi, qualis in nitrosis & amaris reperitur, prædita  
 esse oportet, vt vasa, quæ ad hepar pertinent, factu libe-  
 rent. Non enim valere hoc viscus aptè potest, vasis ipsi-  
 us quoquo modo obstructis. Obstruuntur autem faci-  
 limè & frequentissimè propter crassos lentosque hu-  
 mores, qui quotidie ex ventriculo & intestinis per ipsa  
 ad hepar deferuntur, & per ipsum vel in totum corpus  
 distribuuntur, vel ad intestina & ventrem deponuntur.  
 Calore moderato opus habent, ne intemperiem in vi-  
 scere excitent. Adstrictione carere non debent modica,  
 vt viscus corroborent, aut certè laxari prohibeant. Si  
 milia genere medicamenta ait Galenus, lien quoq; po-  
 stulat, sed valentiora: propter crassiora ipsius excremè  
 ta. Eadem profunt alijs partibus ferè omnibus, quæ de-  
 terensione opus habet: ac vel propter situm, vel alias cau-  
 sas, facillè obstruuntur. Aliter tamen atque aliter misce-  
 re ea oportet, pro cuiusque partis conditione ac natu-  
 ra. De talibus non scio an quisquam, non rerum medi-  
 carum rudis, ambigat, quin alia hepatis, alia spleni, alia a-  
 lijs partibus, magis minusque commodent. Galenus in  
 5. de simplic. facult. cap. 13. meritò Thessalum hoc nomi-  
 ne reprehendit, quod medicamenta quædam hepatica,  
 splenica, nephritica, esse negarit. Quæ hoc modo sunt  
 hepatica aut splenica, in præsentia non curabimus: sed  
 de illis solis, quæ occulta virtute agunt, quatenus ita a-  
 gunt, loquemur. Fieri namque potest, vt quædam vtro-  
 que modo agant, quod de cantharidibus à nonnullis pro-  
 ditum est. Abdita facultate peculiariter vesicam erode-  
 re affirmat Galenus. Easdem cuti impositas, vi caustica  
 vesicas excitare notissimum est. Quatenus ergo  
 isto pacto agunt, non considerabi-  
 mus hoc loco.

Medicamè  
 ta splenica  
 quæ sint.



Quot sint differentia seu species pharmacorum abditæ virtute agentium.

Cap. XXVII.

DE vsu generis hepaticorum posterioris, quæ nimium à totius substantiæ proprietate dicuntur, vix aliquid rectè dici poterit, priusquam cognitum sit, quot medicamentorum talium sint genera siue discrimina. Galenus in 6. de simplic. facult. libro, cap. de Abrotono, tria horum genera recenset, Deleteria, Alexiteria, & purgantia. Et quidem tot esse species, non plures, videntur, cum à medicamentis cibos distinguimus. Totidem etiam recēset, cap. 1. lib. 5. eiusdē operis. Quod enim hoc in loco *ἐπιποψισινὰ* nō distincta velit à purgantibus, cum ex alijs plurimis, tum ex illis, quæ 17. cap. post ab eo scripta sunt, colligi posse videtur. Cæterum quod cibos etiam siue alimenta existimauerit à tota substantia hoc habere, vt cibi & alimenta sint, tam crebrò ab ipso dictum est, vt ambigere nemo possit. Quamobrem

Quatuor sunt genera pharm. occulta viuuantium aut nocentium.

Malefica medicamenta sunt duplicia.

Alexiteria & purgantia quatenus malefica.

sub finem comment. in 6. Epidem. quatuor materijs omnia cōtineri scribit, quæ nobis occulta facultate vel ob sunt vel profunt. Proprietates namque, inquit ex tota substantia progenitæ aut congruentes nostris corporibus aut alienæ, quatuor materijs continentur. Aut enim purgatoriam medicinam sunt: aut alimēta: aut ad hæc tertio ea, quæ hic malefica Hipp. appellauit: aut quarto ipsorum remedia. Ex quatuor enumeratis generibus tria nobis sunt inimica, scilicet purgantia, malefica, & horum remedia. Maleficorum genus est duplex: & suum enim cuique generi medicamentum habetur. Deleterijs, alexipharmaca, venenatis bestiarum morsibus, Theriacalia nominata remedia sunt. Quanquam verò hæc, vix purgantia quoque, non recenset inter malefica, aliena tamē adeoq; mortifera, si largius paulò sumantur, esse.

esse constat. Equidem Alexiteria, non quia aduersentur  
 venenis, sed quia his amica sunt, iuuare creduntur. Hinc  
 est, quod Theriaca viperæ carnes recipit: vt persuasum  
 nonnullis esse video. Hinc Mithridates, teste Gellio, san-  
 guinem Ponticarum anatum, quia venenatis rebus ve-  
 scerent, Antidotis miscuit. Galenus certè in 5. de Simp-  
 fac. cap. 18. medio se modo habere alexiteria scribit, in-  
 ter verè deleteria, & corpus nostrum. Simul quoq; ra-  
 tionem addit, cur talia esse oporteat. Et si verò ibi non  
 de omnibus, sed de illis tantum, quæ vacuare deleteria  
 & venena possunt, loqui censeripotest, in hoc tamen  
 loco nihil facit discriminis, sed omnia inimica & perni-  
 ciosa nobis esse asserit: quantumuis sub certa quantita-  
 te quædam ex ipsis vtilia nonnunquã esse fateatur. Et  
 purgantia nominatim, non in hoc solum loco, sed etiã  
 in 2. com. de ratione vict. in morb. acutis in expos. 12. nisi  
 fallor, sententiæ; inter malefica enumerat. Ergo si non  
 nisi quatuor sunt enumerata genera eorum, quæ cor-  
 pori nostro commodum vel incommodum per ocul-  
 tam nobis vim adferunt, certum est hepatica & spleni-  
 ca vocata, sub istis generibus comprehendi. Porro cum  
 istis nominibus ferè vtilia medicamenta, nõ autem no-  
 xia, significantur, sub alimentis contineri ea necesse est.  
 Hoc si ita habet; non est cur vsus eorũ exponere pluri-  
 bus cogitem. Ac de purgantibus quidem, quæ huc per-  
 tinere videntur, postea dicam, cum ad tuas quæstiones  
 perueniam erit.

*Sub quo ge-  
 nere Hepa-  
 tica et Spli-  
 nica etc. col-  
 locanda sint.*

*De vsu medicamentorum maleficorum, & Alexite-  
 riorum. CAP. XXVIII.*

**D**E tertio genere illud sufficit monuisse, summo car-  
 uendum esse studio, ne intra corpus vllò vnquam  
 tempore recipiantur: nisi per pusillum eorum alijs mul-  
 tis medicamentis permisceamus, vt ad affectum locum

*Malefica  
 vel nunquã  
 vel in par-  
 ua quantita-  
 te deuoran-  
 da.*



Alexiphar  
macis quan  
do vitamur.

citius perducant cætera: illisq; robur aliquot addant. Hac de re Gal. in 3. de Simp. fac. cap. 23. legere poteris. Quod ex his quædam vtiliter externè corpori & viceribus admoueantur, illud quoq; admonitione minime opus habet. De quarto etiam genere frustra dicere aliquid coner. Non enim vsurpamus, nisi maleficam in corpore materiam cõtineri cognouerimus: quã aut alterando impedire, aut vacuando tollere volumus. Cũ ob alias causas talibus vtimur, non vt alexipharmacis, sed vt notis medicamentis, & nota qualitate agentibus vtimur. Non enim nescire aliquis potest, Theriacæ & aliorum similium contra venena compositorum pharmacorũ crebrum in alijs etiam morbis vsu esse. Sed quando, quomodo, quibus in morbis vtilia sint hoc modo vsurpata, cuncti norunt.

*Plura esse genera quàm quatuor virtute occulta agentium. Cap. XXIIX.*

Non omnia  
quatuor ge  
neribus cõ  
tinentur oc  
cultæ vi a  
gentia.

ωερία.  
πλάτ Φυ  
σιὰ sunt  
imania et  
superstitio  
sa.

Restat secundũ genus, Alimentorũ scilicet, de quo tam multa Galenus, & post hũc Græci, Arabes, Latini, Veteres, ac Recentiores, scripserũt, vt, qui aliquid addere velit, meritò actũ agere credatur. Proinde si enumeratis quatuor materijs omnia cõtinẽtur, quæ occulta potentia operant, nihil, quod præterea de his dicã, habeo. At verò cũ mecũ studiose omnia examino & p̄ohero, aliqd desiderari adhuc mihi persuadeo. Etenim hoc ipsum genus medicamentorum, quo de hoc loco agimus, nõ videtur sub ante recitatis generibus cõprehensum. Quippe reperiuntur quædã, vt cum Galenus tum alij quidam statuunt, (Quid hac in parte probem, ex responsione ad tuas quæstiones intelligẽ) quæ certis partibus earumq; morbis peculiariter cõmoda sunt: nec tamẽ sic ut alimenta vsu hunc præstãt. Nõ hic de illis loquor, quæ Physica vel ωερία πλάτ (quia de collo vel alia corporis

corporis parte suspenduntur) nuncupata sunt: sed de talibus, quæ iustar aliorū affectis partibus admoventur: maximè verò quæ intra corpus sumunt. Prioribus nemo admodum cōfidere ausus est. Quid Galenus, cūm de lupino stercore differit, scripserit, non ignoro. Quantum aliās talibus tribuendum iudicarit, id quoq; non nescio. Ego pleraq; eius generis ad decorē ornatumq; vel etiam ad fallendum rudes excogitata fuisse existimo à doctis. Horum postea multitudinem imperiti auerunt, ac celebriora reddiderunt. Sed de hisce postea aliquid dicetur. Quæ intra corpus sumpta & admota etiam certis partibus peculiariter prodesse creduntur, non videntur, vt alimenta, prodesse omnia. Huius generis sunt, quæ secundum opinionem ferè omnium à substantia tota vel renum vesicæq; calculos comminuunt: vel Epilepsiam tollunt: vel colicis prosunt: vel alia talia efficiunt. Galenus certè existimasse videtur inueniri medicamenta, quæ ignota quadam contrarietate certarum partium morbis à tota sua natura aduersentur. Intelligi id ex eo potest, quod lib. 2. de compositione secundum locos cap. 2. de sanguine palustris testudinis loquens, scribit. *ὡλλὲν εἰ μὴ τὸτο φησὶν, ὡς ἀπίσαν ὀνίνης κεφαλᾷ γίαν καὶ πάντα καιρὸν. ἔτω γὰρ καὶ ἡμεῖς ἀντιπάθειαν αὐτῷ μαρτυρήσομεν, ἐκ σίεργειαν ἧς ἔχει κράσεως.* Siquidem Archigenes hoc voluit, inquit Galenus, significare ac dicere, cūm palustris sanguinem testudinis dolori capitis mederi dixit, omnē ab eo capitis dolorē quouis tempore tolli aut mitigari, non verebimur nos quoq; testari, per ἀντιπάθειαν sine occultam quandam vim & proprietatem, non per notam seu temperamenti qualitatem, hoc ab eo effici. Quod si uerò ita res non habebat, debebat Archigenes distinctè magis docere in quo capitis dolore, & quo tempore hoc remedium vsui esse posset.

*Quaedam ignota contrarietate omnib. certarum partium morbis aduersantur.*



*Ad quod genus hepatica, splenica, nephritica, &c.  
referenda sint. Cap. XXX.*

*Splenica,  
&c. an sub  
deleterijs  
collocāda.*

*An sub Alexiterijs con-  
tineantur  
splenica,  
&c.*

SI quis iam est, qui alimentis hæc subiicienda contem-  
nat, is me neq; suffragatorem habebit, neq; aduersa-  
rium. Facile namq; ei assensero: modò qua ratione ap-  
tè accommodare possit, intelligam. Sed suo loco plu-  
ra. Si verò, quia à contrarietate Galeno dicuntur iuua-  
re, sub deleterijs ea complecti quis malit, is triplex eorū  
genus, non duplex solum cum Galeno, constituat oportet.  
Vnum venenosarum bestiarū morsus comprehen-  
dens. Alterum deleteria continens. Tertium, quod ea,  
quæ contrarietate quadam certis partibus vel earum  
morbis plurimum proffit complectatur: sua natura ra-  
men perniciosum non sit. Commodius sub quarto ge-  
nere ponantur: si omnino ad aliquod ex dictis reduci o-  
porteat. Quo factò triplex horū erit species constituenda.  
Vna eorum, quæ venenatarum bestiarum moribus  
medentur. Altera eorum, quæ deleterijs aduersantur.  
Postrema eorum, quæ abdita latenteq; contrarietate  
certos morbos in peculiaribus corporis membris exci-  
tatos, oppugnāt. In præsentī loco, perspicuitatis gratia,  
quæ hoc modo iuuant, ab Alexiterijs atq; Alexipharmaci-  
cis separabo: & quem vsū in medendo habeant, breui-  
ter commemorabo. Vt autem planiora sint omnia, pau-  
lò altius repetere nonnulla cogor: omiffa Galeni par-  
titione.

*Duplex est  
genus medi-  
camentorū  
occultauī  
in certis fo-  
lum partes  
agentium.*

*Enumerantur species medicamentorum occultorum  
particularium: & quis eorum in curationi-  
bus vsus sit indicatur.*

*Cap. XXXI.*

DVO sunt, iuxta proximè dictā sententiam, genera  
eorum medicamentorū quæ à totius nature pro-  
prietate

prietate in certas corporis partes præcipuè peculiariterq; agunt. Quædã enim nocent illis partibus, à quibus nomen mutuata sunt, vt cantharides vesicæ, lepus marinus pulmonibus. Hęc ex deleteriorum genere esse supra monuimus. Quare nõ est, vt plura de ipsis hic dicamus. Quædã verò ipsẽ illis partibus prorsunt: id quod bifariam accidit. Aut enim quod in affecta parte, vt hepate, aut renibus, collectum est, expurgant: Aut infitum eius temperamentum caloremq; fouent atq; conseruant: & hoc ipso alienam inimicamq; temperiem oppugnant. In horum numero ea quoq; sunt, quæ alere partem iucundè possunt. Quæ expurgando iuuant, nemo est, qui nõ tunc solũ vtilia existimet, cũ in affecta parte aut ei vicinis aliquid continetur, quod educi oportet. Aliter vix illis vtatur Medicus. Neq; tamen hæc vsurpanda temerè sunt antea, quàm totius corporis excrementa siue copia sit vacuata: quod vbiq; te intelligere iubeo. Non enim quæ hic dicuntur, vniuersali methodo aduersari debent. Per purgantia hic non ea intelligo, quæ per excellentiam ita vocantur: sed quæ occulta vi, quod in partem aliquã præter naturam collectum est, exturbant: quocunq; id modo alio fiat. Si ad primum genus pertinere contendas, in promptu est responsio: scilicet eò referri posse, quatenus purgant. At quatenus certam corporis partẽ à naturæ suæ proprietate vel solam vel maximè purgant, ad propositum genus referri debent. Etenim purgantia propriè vocata, non purgare certas solum corporis partes, sed æqualiter omnes (quod ad ipsa attinet) infra copiosius demonstrabitur. Ad hoc genus, de quo in præsentī loco differimus, ea quoq; pertinent, quæ simili facultate calculos in renibus & vesica frangunt. Item quæ lienem incognita vi eliquare siue consumere dicuntur. Parte perpurkata, si qualitas quædam relicta est, quæ tolli per

*Occulta virtute partẽ certã iuuantiũ duplex genus est.*

*Quãto certam partem solum purgantibus vtendum sit.*

*Occulta potestate purgantiu duo sũt genera.*

*Purgantia propriè dicta omnes partes æquè purgant.*



Viribus oc-  
cultis robo-  
rantia quā-  
do vsurpan-  
da.

Loc Gal.  
lib. de com-  
pos. local.  
s. cap. 7. &  
8.

manifestas qualitates nequeat, (qualem in Comitiali morbo deprehendimus) aptissimè, quæ occulta vi eam tollere posse creduntur, adhibeantur. Hoc enim tempore imprimis commodant, quæ insitã partis temperiem atq; facultatem augere & conseruare: debilitatam confirmare: collapsam erigere ac fouere possunt. Quanquã non hoc tantum tempore ista sint exhibenda, sed omnibus temporibus offerenda, omnibusq; medicamentis videantur permiscēda. Semper enim, quicquid agatur, illis est opus, quæ insitas vires conseruare ac instaurare possunt. Hisce collapsis, frustra omnia adhibentur. Deligenda quoq; semper ea sunt, modò fieri possit, quæ cū hoc, quod propter naturæ & substantiæ familiaritatem partis robur seruare possunt, etiam qualitates morbo cōtrarias habent: aut certè tales, quæ lædere corpus nequeāt: prodesse tantummodo queant. Idē hoc sensisse Galenus videtur, cū lib. 8. de comp. med. secund. locos cap. 7. de vna passa hoc modo scribit. Et vltra hæc secundum totã substantiam visceri ipsi familiaris est, & propria. Didicimus enim quod alimenta secundum totã suam substantiam, proprietatem ac familiaritatem habent ad ea, quæ aluntur: quod maximū est in huiusmodi affectionibus curandis, quæ iuxta intemperiem fiunt. Optimè enim in ipsis faciunt, quæ vnà cum hoc, quod intemperiem curāt, etiam alere possunt. Et mox cap. 8. Videntur autem hæc iuxta totam substantiã efficaciacia esse, non secundum vnã aut alteram qualitatem. Quale est & lupinum hepar, cuius abundè experimentum habemus. Vsus autem ipsius consimilis est cochleis. Teritur enim exactè hepar lupinum, & datur 3. i. cū vino aliquo dulci: qualia sunt Theræū, Creticū, & Scybelite, ac dulce protropū. Benigna enim hæc sunt visceri ipsum nutrire potētia: & media iuxta calidi & frigidi oppositionē: & ob id talia pharmaca omnibus tempe-

ramen-

ramentis conuenire videntur: vt quæ ex substantiæ proprietate cōmoditatē de se exhibēt, & neq; calidas neq; frigiditas tēperaturas lēdūt. Hos ex Gal. locos trāscribere placuit, quod nō modo ad institutū præsens faciūt, verū etiā tum ad antedicta, tum ad dicenda vtilēs sunt. Hoc genus medicamentorū, tunc quoq; vsurpabimus cum fructu, cū pars aliqua parum probè officio fungitur: nec vllum ei tamen inest sensibile pathema. Quod quo modo contingat, non est huius loci exponere. Poteris Galenum ea de re in 5. de Simpl. fac. cap. 19. consulere. Ista generatim hoc modo declarauisse satis sit. Speciatim omnia persequi nec possum nec debeo. Si quid esse videbitur, poterit ex sequentibus compensari: vbi plura nobis adhuc explicanda restant.

*Reprehensio eorum, qui in quouis morbo statim ad occultas vires confugiunt.*

Cap. XXXI.

**N**on est difficile ex dictis intelligere, quàm præposterè, ne dicam imperitè, illi faciant, qui statim in quibusuis morbis ad medicamenta occulta confugiūt. Non enim semper quibuslibet vtendum est: tum etiā, cum certo experimento cognitū habemus ea prodesse posse. Nisi suo tempore & modo exhibeantur, aut cum noxa, aut certè absq; fructu proponuntur. Scitè sanè Galenus tales 10. de Simpl. fac. lib. de Ciconiæ stercore, quod quidam orthopnœam per sanare dictitabant, loquens, his verbis reprehendit. Haud scientes, quod pituitosus viscosusq; succus bronchia pulmonis obstruens, huius affectus (orthopnœæ) sit causa: & quod in eo euacuādo cōsistat curatio: & quod euacuat, dū per ruffim excreatur: & quod id fieri nequeat absq; crebro epoto medicamento acriore. At hi adeo sunt nugaces aut præstigiato

*In Curatio  
ne non est  
statim ad  
occultas fa-  
cultates re-  
currendū.*



res, aut quo illos appellē nomine nescio, vt dicant, absurdorum poculorū istorum vnumquodq; epotum à dispnoea liberare: quod fieri non posset, ne si vel specillum fas esset alicui in pulmonem demittere, quo infixum humorem tolleret, semel duntaxat demisso. Quæ de orthopnoea Galenus hic dixit, in alijs omnibus morbis, quos humor aliquis excitauit, suaq; præsentia fouet, locum habent. Frustra talibus remedia, quacunq; tandem potestate prædita ipsa cogites, admoueas, si nõ vacuare humorem eum possint. De Comitiali morbo tam multa circumferuntur & prædicantur talia phar-maca, quot de morbo alio nullo. Sed quantū illis confidendum sit, dum vitioso succo cerebrum oppletum est, ex modo citatis Galeni verbis facilè perspicitur.

Remedia  
Comitialiū  
occulta  
quādo vsur-  
panda.

*De occultis Comitiorum remedijs nonnulla.*

Cap. XXXIII.

Puluis cra-  
nij humani  
qua vi iu-  
uet Epile-  
pticos.

Quæquam non nescio omnia propemodum, quæ pro huius morbi curatione cõmendata sunt, nõ tam abdita vi, quã manifesta qualitate aliquando profuisse. Quotusquisq; est, qui non persuasum habeat, humani puluerē cranij comitiam morbū persanare? At Galenus lib. ii. de Simpl. fac. cap. de ossibus, digerētis exsiccantiq; virtuti adscribit: multorū tum Epilepsia tum arthritin ossa cõbusta percurasse asserēs: nec ossa cranij ossibus alijs præferens. Multa sua ætate falsa Galenus comperit, quæ celebrabantur ab alijs. Quod qui nõ credit, libris de Simp. fac. aut nõ perlegit, aut parū attentè, qd in illis scriberetur, obseruauit. Exemplū in hoc ipso, quē paulò antè citauit, loco, de Ciconiarū stercore habetur: qd falsò ait cõmendatū, ac si Comitiorum, mederēt. Plura posteriorib. tēporibus Medici frustra experti sunt. Plurima nihil eorū præstare, quæ ipsis attribuerūt exvete

ribus etiam nonnulli, quotidie cum dolore nostro cer-  
nimus. Si quid utilitatem attulit, non nisi incidendo &  
exsiccando humiditatem redundantem in cerebro iu-  
uit. Sic enim Galenus disertè scribit in 10. de simplic.  
med. facult. cap. de sanguine vespertilionis, cum agnū  
malè commendatum asserit, tanquā vtilem Comitali-  
bus. Quęcunq; inquit, utilia Epilepticis sunt, facultatē  
habent incidendi. Si posteriorū ætatum experientia ve-  
rum comperisset, quod de Pœoniæ radice Galenus scri-  
psit, merito magni æstimanda foret. At nullus eorū, qui  
periculum eius ꝑfecerunt, multum de tanta huius radi-  
cis vi & potētia gloriatur. Ego sanè præter adultos pue-  
rulos omnis ferè ætatis curari partim vidi, partim cura-  
re ipse aggressus sum, nec improspero, Deo laus sit, suc-  
cessu: quibus nihil de collo suspensum fuit. Iussi aliqui-  
bus recentes easq; veras & legitimas collo appendi, vbi  
prius humores per aluum perq; vrinas expurgassem, &  
capitis inunctionibus vsus fuissē: sed nec citius nec  
melius alijs liberati sunt. In adultis, nisi per consensum  
partis alicuius laborarent, frustra omnia appendimus:  
quæ virtute naturali citra superstitionem iuuare crede-  
bantur. Post corporis totius primum, deinde capitis  
quoq; exquisitam vacationem, mitior plerunq; factus  
est morbus. Prorsus in ea sum sentētia, si peculiari qua-  
piam vi prosit radix hæc Comitalibus, perparum pro-  
desse: nec nisi vacuato corpore vim suam exerere pos-  
se. Si nō aliter, quam Galenus credidisse videtur, iuuet,  
minus ei sit confidendum, dū de collo suspensa hęret.

An radix  
Pœoniæ ap-  
pēsa Comi-  
tiales sanet.

*Cur quidam tantopere abominentur feles.*

Cap. XXXVIII.

**H**Æc omnia ob eā causam à me dicuntur, ne, quod  
aliquos facere, memini indoctos Medicos, statim  
ab occulta vi profectum statuas, cuius non ipse  
videmus.

Non statim  
occultū est,  
cuius cau-  
sam nos nō  
videmus.



Cur aliqui  
feles abomi-  
nentur.

Historia.

mox causam perspicis. Sunt quàm plurima, quæ alijs aperta & plana videntur, mihi autè obscura & incòprehensibilia iudicantur. Cur quidã à catis seu felibus tan-  
toperè abhorreant, vt ad eorum præsentiam animo lin-  
quantur, nõ faciliè dixerim. Dicam quid mihi acciderit.  
Noui Principem fœminam omni virtutum genere or-  
natissimã Heroinã, quæ valdè ab isto animali terretur:  
quantumuis cordata mulier aliàs sit. Causam istius ter-  
roris referebat ipsa aliquãdo in casum matris hũc, quæ  
narrare hic volo. Matrem aiebat, dum ab ea in vtero ge-  
staretur, ab hoc animali quodam die ita fuisse exterrita-  
tam, vt animo linqui capisset: ac ab eo metu seu pãno-  
re ægrè admodum, nec nisi post multos dies recolligere  
se potuisset. Tamen si enim non expauesceret aliàs ad cõ-  
spectum felium, sed ferre eos potuisset, nihilominus cù  
repètè quidam de alto loco propè ipsam decidisset, ita,  
vt dixi, perterritam fuisse dicebat. Hinc illa euenisse ra-  
tiocinabatur, quod ferre eos ipsa nunquam potuisset.  
Ita quæ mihi inperceptilis visa est causa, hanc se scire ar-  
bitrabatur Heroina, de qua dixi. Profectò nõ minus pro-  
babile est, ab eiusmodi pauida cogitatione spiritus ac tẽ-  
peramẽtum fœtus, certo modo immutari posse, quàm  
potest appetibilis siue plurimum expetite rei imagina-  
tio, speciem rei vehementius desideratæ tenello adhuc  
infantis corpori imprimere. At hoc frequenter fieri cer-  
nimus. Mirum itaq; non sit, si & illud aliquando fiat. Ra-  
rius accidit, quia causæ, quæ hoc possunt efficere, non tã  
crebrò accidunt, atq; grauidæ vehementius aliquid ap-  
petunt. Cæterùm licet pauor iste animi potius quã cor-  
poris affectio existimandus sit, ideoq; à matris imagina-  
tione in animum fœtus nequaquam imprimi potuisse  
videatur, non tamen ita res prorsus habet. Potest tamẽ  
temperamẽti immutatio talis accidere, propter quam  
occulta quædam dissensio exoriatur. Quinetiam sæpe-  
numero

numero audimus matres certorum affectuum morborumque in pueris causas in partum aut affectum aliquem referre, quo, dum eos in utero habuerunt, correptas se fuisse dicunt. Nec semper falluntur, dum ista narrant: id quod nemo inficias ibit, puto. Non infrequenter illud etiam videmus, non modo liberos ab eisdem parentibus ortos propter temperamentum similitudinem similibus ferè moribus & studiis deditos esse, verum etiam in totis familiaribus copluribus annis familiaria quedam vitia, virtutesque peculiare servari. Cur quidam à vino, à caseo, cæpis, vel alijs quibusdam cibis & potibus abhorreant statim ab ineunte ætate, non omnibus fortasse incognitum sit, si investigare tentent. Non omnino aberrasse illi videntur, qui in picam grauidarum, & vitiosorum humorum in ventriculo & alijs in locis aceruatorum qualitate referre studuerunt. Sanè multum potest vehemens nausea alicuius cibi per illud tempus à malis humoribus procreata. Ab hac & similibus alijs causis multa fortasse proficiscuntur, non prorsus imperscrutabilia. Quis non summè admiretur, si mulieris aut capræ lac audiat purgatorium euasisse? Idem si purgantia medicamenta ab eadem depasta audiat, admirari desinet. Quid igitur miri sit, si certo alimento nutriatur infans in utero, vel propter prauum matris sanguinem, vel præposteram eiusdem victus rationem, vel alias causas tales, propter quas postea certos cibos abominetur bonos, aut appetat malos? Profectò non quicquid imperitis & rudibus, aut etiam doctis, ignotum est, occultum omnibus iudicari debet. Anniti bonus Medicus debet, ut quantum cuiusque conditio patitur, supra vulgares aliquid norit ac intelligat, sicut in principio ex Galeno monuimus: quo certiore methodo ac meliore conscientia in artis operibus versetur. At nihilominus, inquit, abdita & incognita nobis est talium causa. Esto enim

*Familie  
quedam pe  
culiaries ha  
bent mores.*

*Vnde odit  
casei, vini,  
cæc. in in  
fantibus na  
scatur.*

*Obiectio.*



oderit aliquis ob id felem, quod eius mater, dū in utero gestaretur ipse, vehementius ab hoc animali conterrita fuit. An propterea ego causam huius odij rectè intelligo? Nū ob id scio, quomodo terror ingeneret in infante talem qualitatem? Grauidas scimus territas signare suos fœtus: at quomodo fiat nescimus tamen. Si maxime verū esse nobis constaret, nauseam ab humore certa corruptionis specie imbuto procreatam odium vel casei vel alius rei generare in prole, quid amplius alijs sciremus? Quantisper incomperta nobis manet corruptionis species, nihil fermè est, quod scimus. Et hac etiā cognita ignotus nihilominus permanet modus, quo propter eiusmodi corruptionem nauseans mulier odium eius rei, cuius illa qualitatem aut odorem refert, fœtui imprimi. Quare occultas tunc etiam causas habere iure optimo dicerentur, si quàm maxime exploratum haberemus recitatas à te causas aliquid ad harū Proprietatem generationem conferre. Quanquam ita fermè res habet, vt iam dictum est, ac veras proximasq; causarum affectionum nesciamus, plus tamen alijs nouimus: propiusq; ad rei fontem penetrauimus. Cū aliquem morbum pronatum scimus vitio hepatis, (exempli causa) calidioris & siccioris, licet exactū eius intemperiei gradum concipere animo non possimus, non tamen prorsus causam mali nos latere putamus. Si causam proximam ignoramus, saltem propinquam cernimus. Et vbi modum generationis videre nō possumus, causam tamen generationis perspicimus: vt effectus illius causa occulta quidem censerī possit, planè ignota dici non possit. Sed hæc extra propositum consecutionis gratia dicta nobis putato. Huc vsq; occultas proprietates in compluribus rebus, vt ne dicam in omnibus inueniri probaui: & præterea quale quid sint declarauimus: species quoq; earum perspicuè distinxi: ac demum quis

*Solutio.*

quis earū vsus sit in curationibus exposui. Obiter etiā, & quasi per transfennam, peruersam quorūdam in istis rationem, indicaui. Jam res & causa flagitant, vt ad tuas quæstiones tibi respondeam.

*Responsio ad primam quæstionem. Cap. XXXV.*

**A**D primam tuam quæstionem facilis videtur esse responsio. Etenim si verum est, quædam medicamenta esse, quæ certis partibus peculiariter, imò solis, obsint, nihil prohibebit, arbitror, quin alia reperiantur, quæ certis partibus præcipuè ac solis conueniant & prosint. Equidem Galenus inueniri medicamentum putauit, quæ certis partibus præcipuè ac solis obessent, vt ex primo cap. libri primi de cõposit. medicamen. κατὰ γένη, cognosci potest. Hoc in loco, postquam ostēdit, quomodo riserint quidam Medicos affirmantes alia hepatis medicamenta, alia spleni, alia alijs partibus præcipuè auxiliari, ita scribit. τῆς τοῦ σπυγγίου δηλοῦ, ἡ δὲ ταῦτα λέγοντας εἰς τοῦτον ἀπίστευτος εἶναι τῶν Φαρμακῶν δυναμείας, ὡς ἀγνοεῖν, ὑπὸ μὲν τῆς θαλάσσης λαγωγῆς, μόνην, ἢ πάντων ἐν τῷ σώματι μόριον, ἐλκόμενον πνεῦμονα: κύστιν δ' αὖ μόνην ὑπὸ τῆς καθαρίδων: ὑπὸ ἄλλων δὲ τῆς ἐν νεφροῖς λίθου θρυπτικῆς, ὑπὸ ἑτέραν δὲ τῆς ἐκ πνεύμονόσπε καὶ θώρακος ἀναπύσεως ὀπτεῖς γενομένης, ὡσπερ ὑπὸ ἄλλων ἄλλα, καὶ ἐν τῷ μόριον ἐξαιρέτως ἐπιτελέμενα. Idē ferè inuenies ad Pisonē cap. 4. Ex citatis testimonijs liquet, Galenum vtrunque verum iudicare. Primum quædā certis partibus solis inimica & perniciosa esse affirmat. Ex eo dedesse probat alia quædā alijs partibus singulariter proferre. Quoniam pars maxima, nulla inquisitione facta, assensit huic sententiæ Galeni: vt de eius veritate perpauci, quod quidem sciam, dubitarint. Quinimò



*Cantharides an in manibus re tentæ sanguinis mixtum efficiant.*

reperiti sunt, qui plura etiam adiecerint, scilicet cantharides in manu detentas sanguinis mixtum efficere. Mirum est plerosque hoc ipsum credidisse, cum absq; insigni aliquo periculo quotidie experiri possent, quam sit à veritate alienum. Audiui etiam qui acriter defendere, vt verum, auderent: propterea quod aliquando legissent, nonnullos à purgantibus medicamentis fuisse purgatos, quæ in manibus solum gestassent. At longè est alia huius rei causa: nec ita vrinæ citantur, sicut alius commouetur: vt postea suo loco dicam.

*Refellitur Galeni nuper citata sententia.*

*Cap. XXXVI.*

*Galeni sententia initio lib. de cõp. narrata yem ab authoribus omnibus arguitur falsitatis.*

**S**ANÈ cum, quæ hic à Galeno dicuntur, mecum considero diligentius, facere non possum, quin de veritate eorum addubitem. Nam si, quid alij authores cum de lepore marino, tum de cantharidibus, scriptum reliquerint, intueor, non magis pulmones ac vesicam illis haustis offendi erodique video, quam omnes alias corporis partes ad quas pertingunt. De qua re valdè velim legas tum Plinium, tum Dioscoridem, tum Nicandrum, tum ex Recentioribus etiam Actuariũ in quinto libro Methodi suæ: & si quis præterea de hisce ex antiquis scripsit. Referam hoc loco, quæ Ant. Musa Brasauol. in exposit. Aphorif. 17. lib. 2. scripsit. Vincentius Grema, inquit, nuncupatus, insignis Chirurgus, medicamentum bibit, cuius pulueres in mortario pinfi fuerant: in quo prius Cantharides in puluerem redegerant. Hic vir ab ore vsque ad anum excoriatus est: & miram vesicæ excoriationem habuit. Decem & octo mensibus sanitati restitutus est. An solam vesicam hic habuit offensam? Non puto. Manifestè constat Galeni verba non consonare cum perpetua omnium seculorum experientia.

In

In cæteris medicamentis, quæ non lædunt, sed iuuant, minor est fortasse difficultas. Satis namque apparet in s. de simpl. facult. cap. 13. & præcedentibus, quæ nam hepatica, splenica, nephritica, pus & humores ex thorace educuntur medicamenta appellari. Nō opus hic nobis est occulta virtute, cū ratio omnium reddi aptissimè queat. Sed hac de re supra quoque aliquid dixi: iam aliud est perquirendum, scilicet an dentur medicamenta, quæ occulta potestate vni tantum parti sint aut salutaria aut perniciofa.

*An pharmaca inueniantur vi occulta certis solum partibus vel amica vel inimica.*

Cap. XXXVII.

**M**edicamenta quæ certæ alicui parti aut prodesse aut nocere dicuntur, vel ei solum nocent aut profunt, vel alijs simul omnibus. Et quæ omnibus nocent aut profunt, ea vel omnibus æqualiter siue profunt siue nocent, vel alijs magis, alijs verò minus. At quod medicamenta, quæ à certis partibus denominatione adeptasunt, nō solis illis partibus, à quibus nomina sortita sunt, vel nocent vel profunt, primū Galeni testimonio ostēditur. Quinetiā pollicetur in meth. Therap. ostēdere causas, cur alia alijs partibus magis minusq; comoda in modum sint. Porro frequentissimè in meth. ostēditur, se ea tantum tractare ibidem constituisse, quæ ratione inuenta sunt, ommissis illis, quæ per solam reperta sunt experientiam. Quare videri potest credidisse, se talium causam reddere aliquam probabilem potuisse. Si locū inspexeris attenteq; obseruaueris singula, non me falsum esse affirmabis. Quamuis enim hic illorum nullam facit mentionem, quæ propter abditam facultatem ta-

*Medicamēta hepatica, splenica etc. nō solum hepatis, splenis, etc. afficiunt. Galenus causam sciuit, propter quam medicamēta quedam hepatica, splenica etc. sunt.*



lia sint, ita nihilominus loquitur, vt talia nulla putauit se reperiri videatur, Quinetiam in 4. libro eiusdē operis cap. 19. visus est rationem aliquo pacto attingere voluissē, cur lepus marinus solus pulmones, cantharides autē præ cæteris partibus vesicam exulcerent: quod in loco ex 1. lib. de comp. med. secundum genera supra à nobis citato affirmauit. Vnde suspicari cogor, eum credi distictalia quoq; non sine nota causa, vt superiora, in certas partes magis agere posse. Sed verum non esse, quod iam iterum nominata scilicet medicamenta solis prædictis partibus, aut his præcipuè latente potestate noceant ex Dioscoride alijsq; authoribus perspici potest. Sanè quia videmus quotidie cantharides externæ cuti & partibus cuilibet corporis admotas, eandē vi sua caustica erodere & exulcerare, minus nobis erit difficile fidem adhibere Dioscoridi, qui neminem vidimus hæc medicamenta haurientem: Nihil certè dubito, si occasio ferat, vt aliquid horum videas, quin nostræ potius sententia: sis adhæsurus, quàm in Galeni opinione permansurus. Ergo satis liquet, enumerata medicamenta non vni soli parti aut commoda aut noxia, sed omnibus ex æquo vel vtilia vel perniciosa existere. Quod si vnam aliquam partem magis offendere videntur, id fit ideo quia ea iniuriæ magis est obnoxia: vel quia medicamentum non est integrè ad actum suum perductum, nisi postquam illò peruenit: Tale quid videtur Galenus in loco paulò ante ex lib. 4. de simplic. med. fac. cap. 19. citato indicare voluissē. Ac de his quidem medicamentis, vbi & autoritas & sensus pro nobis stāt, frustra disputemus verborum. Quare ad generalem rationem deducenda iterum erit oratio exemplo horum seruato.

Cantharides exulcerant cutem in omnibus locis.

Cur phar-maca quædam vni, quæ alij parti magis noceant.

Nullum

*Nullum pharmacum occulta vi, quæ actu in eo insit, in  
vnam partem solam, alijs præteritis agit.*

Cap. XXXVIII.

**M**edicamenta quæcunq; latente & cæca pôtestate  
dicuntur, duntaxat corporis partes lædere aut iuuare  
solum. Quod si actu huiusmodi esse putentur, in obie-  
ctum obuiũ quoduis pro sua vi naturaq; agent. Etenim  
quæ natura agunt, nec impeditam habêt ab externa re  
aliqua actionẽ, ea semper agunt, quantũ omninò pos-  
sunt: non iam agunt, mox agere desinunt, eorum more,  
quæ ratione agunt. Eadem in omnia agunt, quantum  
possunt, ad quæ virtute sua pertingũt. Non enim discer-  
nunt obiecta, vt in alia agant, alijs parcant. Quanquam  
verum hoc est, ea in propinqua semper obiecta prius  
atq; etiã efficacius agere, quàm in remotiora: licet inte-  
rim non hæc quidem prætereant, illa verò aggredian-  
tur, instar hominum ratione duce agentiuũ. Sicut ignis  
nulli rei parcit, sed in res cunctas, quas attingit, ex æ-  
quo inuadit, omnesq; similiter, quantum in ipso est, si-  
bi assimilare nititur, ita res aliæ naturales quoq; faciũt.  
Quod si à talibus aliq; partes magis offenduntur aut iu-  
uentur: cæteris, nõ ob eam causam euenire putandum  
est, quod in has solum partes talia agant: sed quia istæ,  
quam aliæ, magis mutari aptæ fuerint. Hinc Philoso-  
phorum illud indubitatae veritatis axioma natum est:  
quod actionem agentis causæ recipiat, id eam non pro  
agentis natura, sed pro sua propria recipere. Hac etiam  
ratione, nonnulla alia, idem calor eodem tempore alia  
indurat, alia liquefacit: quædam hoc modo; alia quædã  
aliter afficit: prout passurũ cum eo, quod acturum est,  
conuenit. Nam vt agens agat, atq; pascens ab agente pa-  
tiatur, conuenientiam inter ipsa certam oportet esse:

*Medica-  
menta actu  
in obuia  
quæuis pro  
virib. æquẽ  
agunt.*

*Cur à quo-  
uis medica-  
mento par-  
tes aliæ ma-  
gis aut mi-  
nus patian-  
tur.*



per quam illud certo modo agere, hoc aut certo modo pati queat. Quãobrẽ si medicamentũ aliquod actu vires suas obtinens, in ventrem deuoratũ sit, & ex eo per intestina venasq; portæ ad hepar, & ab hoc in venas distributum cogitetur, vt nullas in hac via partes læsisse affirmetur, ex eo accidisse putandum erit, quod partes, per quas pertransiuit, lædi ab ipso nõ potuerint. Ergo si Cantharides, vt in exemplo maneamus, erodendi potentiam seu facultatem actu possident, ac neq; ventriculum, neq; intestina & hepar, neq; vllas post ipsum partes vsq; ad vesicam erodunt, certum est ex supradictis id ideo fieri, quia enumeratę iam partes ab ipsis patinequeant: non autẽ, quia nihil in ipsis egerint. Etenim quæ natura, non intellectu, agunt, ea semper & in obuium quoduis subiectum agunt sine omni delectu. Si non eundem suæ actionis effectum vbiq; post se relinquant, in causa fuit, quod non eodem modo pati omnes potuerunt. Quæ omnia in hunc finem tam multis dicuntur, vt apertẽ liqueat, non in agente, sed in passio actionis siue effectuum diuersitatem quærendam esse. At verò vix potest vero consentaneum iudicari tantum inter vnus corporis partes quæ vnica omnes anima seu forma informata sunt, discrimen inueniri, vt, quod vni sit lethale & perniciosum, id cæteras offendere nihil possit. Si verè Galenus alicubi affirmauit, medicamenta, quæ à tota substantia corpori aut parti huius alicui familiaria sunt, omnibus temperaturis conuenire, dubitare nullus poterit, quin magis omnibus vnus corporis partibus cõueniant, quàm vni diuersorum specie corporum parti. Quod dico est huiusmodi. Si pharmacum hepatis amicum & familiare, conuenit omnium hominum hepatis, quomodocunque temperamenta sint, multò magis conueniet etiam ventriculo & cæteris in vno & eodem

Effectuum  
diuersitas  
nõ in agente,  
sed in patientibus.  
quæ  
ren. la.

corpore partibus. Vix enim mihi persuadeo, tantum differre temperaturam ventriculi à temperatura hepatis in vno & eodem homine, quantum in diuersis hominibus differunt iecorum temperatura: nisi omninò inæqualiter temperatum sit corpus. Adde quod idem Galenus fatetur, omnisq; experientia comprobat, uide licet medicamenta hepatica, splenica, bechica, diuretica, &c. non in illas duntaxat partes, à quibus denominata sunt, sed in reliquas omnes omninò, quas attingunt, agere. Quod aut in alias magis, in alias verò minus agere cernuntur, aliam rationē fortasse habet, de qua dictū iam aliquid est: & mox iterum dicendum aliquid erit.

Tam nō differūt vnus corporis partes, quā diuersorū corporū viscera eadē.

*Dissoluitur obiectio, quæ aduersus modo dicta adduci posset.*  
 Cap. XXXIX.

Verum, dicat aliquis, ista non cogunt aliter sentientes cedere. Nam & Magnetis virtutem, quam occultam esse nullus ambigit, concedimus & paleas, & plumbum, & res alias in eadem cum ferro propinquitate positas virtute sua attingere: ipsum tamen nō hæc, sed ferum solum trahere dicimus. Eodem modo Galenū sensisse putandum est, cum Cantharides soli vesicæ nocere afferuit. Quin pro viribus suis in omnes partes, quas attingunt, agere conentur, nunquā dubitauisse videtur. Hoc ergo sensit, reliquas partes non esse aptas ab eis partibus quemadmodū neq; palea & plumbum: neq; plumbū & argentū, &c. idonea sunt, vt à tractrice Magnetis potentia commoueantur. Ad hanc obiectiōem iam antea respondit, cū dixi, corporis partes omnes ab vna eademq; anima siue substantiali forma informari. Quod si eadem esset specie forma palarum, plumarum, cupri, plumbi, argenti, &c. cum forma ferri, ab eadem potentia,

Magnes nō agit in paleas aut plumbum.

Pharmacū parti vni corporis familiare & amicū, nō est ceteris inimicū.



tentia, à qua hoc trahitur, illa traherentur. Cæterùm formæ illorum non specie solum, verum etiam genere differunt: cùm corporis membrorum & specie & numero formæ sit eadem & vna. Quare quod pharmacū insigniter vnam aliquam mutat, etiam alias vel ex parte aliqua mutare poterit.

*Pharmaca actum à nobis accipientia non agunt in partem vnam solam.*

*Cap. XL.*

*Omnia ferè  
Pharmaca  
in ventricu  
lo actū suū  
accipiunt.*

**Q**uod si autem non actu, sed potentia solum talia sint, hoc est, si pro insita sibi facultate (siue amica siue inimica ponatur,) operari ante nequeant, quàm à corporis nostri calore actum receperint, eadem propriè ratio erit. Nam confiteri prorsus oportet, ea in ventre statim, (vt cætera quoq; pharmaca omnia) ad actum deduci. Quare & in ipsum ventrem & in alias quoq; partes similiter agent. Ac si tum demum ad actū perducta imaginis, cùm expellenda mox sunt, in intestinis saltè, mesenterio, hepatis, & vicinis partibus adhærescentia proderunt oberintue pro suæ naturæ modo. Si de cantharidibus, quas pro exemplo posui, priuatim sermo sit, certum est, breui admodum tempore actum has in ventre accipere. Nam cuti impositæ, haud multas post horas erodere incipiunt. Equidem non probabile modo, sed planè verum indubitatumq; est, omnes ex æquo partes à cantharidibus corrodi exediq;. Discrimen si quod est, in eo ferè videtur consistere, quod aliæ sunt compactiores ac duriores, ideoq; minus iniuriæ obnoxia: non quia ad vnam magis partem medicamentum peruadat, quàm ad aliam. Non enim sua sponte vllum medicamentū ad partem aliquam præcipuè contendere videtur, vt eam lædat. Quin nec attrahi noxia à partibus

*Pharmaca  
noxia non  
eunt sponte  
ad certas  
partes, nec  
ab eis præ-  
cipuè attra-  
huntur.*

tibus per se constat. Appeterent enim suum ipsarū intēritum: quod perquam absurdè dicatur. Omnes partes, amici & familiaris succi attrahendi facultatem potius à Deo acceperunt, quàm noxiorum desiderium. Hoc certum est, repellendi virritem partes omnes obtinuisse, qua noxia & perniciofa atq; adeo molesta depellant: nō vt ad se talia attrahant. Itaq; non aut vadunt cantharides ad vesicam, quasi familiaritas ipsis cum ea sit aliqua: nec ab eadē attrahuntur, vt à quibus ipsi perniciēs impendat. Nihil ergo reliquum esse video, quàm vt non sua sponte eò properare declarem. Quod de his dico, de omnibus intelligi debet talibus pharmacis. Non enim video, quomodo non ratio aptari vniuersis possit ac debeat. Quæ principium motus in se ipsis habent tale, vt mutare locū possint, ea fortasse conspecto hoste ad eum festinent, cū se superiores fore videant. At in quibus tale principium non inest, de illis hoc non rectè credatur. Certum verò est, mortuas cantharides, ne plantæ quidem vitam in se continere. Præterea cum in ventriculo attritæ comminutæq; sunt, & quasi in puluerem quandam redactæ, vix alias vires potestatesq; retinent, quàm eas, quas ab Elementis acceperūt. Quare admodum probabile est, ipsas ad vesicam sua sponte non magis tendere, quàm ad partem quamlibet aliam. Notum quoque est, motum omnem fieri propter indigentiam. Nihil enim ad aliud accedit, nisi aliquid ibi sentiat esse, quo ipsum indiget. Qua verò re egeant Cantharides, quam in vesica requirant, vix, imò ne vix quidem, fingi potest. Sed hoc vt manifestum relinquamus: & illud cōsideremus, quo pacto & cur haustæ uel casu quodā vel consilio cantharides, tam citò ad vesicā perferantur? Quid sentiam, facilè dixero: quid certū verumq; sit, non æquè facilè pronunciauero. Vt aut res habeat, certus sum, nullo ex prædictis modo cōtingere.

*Pharmacā nō possunt se ipsa mouere.*

*Omnis motus fit propter indigentiam.*

*Quomodo Cantharides ad vesicam festinent.*



*Modus explicatur, quo Cantharides tam velociter ad vesicam perferuntur.*

Cap. XLI.

*Cantharides haustæ ad vesicam propelluntur: et cur?*

**E**Rgo sic potius euenire sentio, vt propter tenuitatem aliquid ex intestinis in hepar trãsgressum, eiq; erodendo molestiam adferens expellatur tanquã noxiu: atq; sic cum sero celeriter ad vesicam perueniat, cui adhærescens vlcus antè creet, quàm inde exturbetur. Vix enim, imò ne vix quidem, credat aliquis, medicamenta tum primum actum accipere, cùm hepar prætergressa, vel ad renes vel pulmones deuenerint, quod tamen Galenus lib. 4. cap. 19. de Simp. facult. existimasse videtur. Nisi fortasse illud senserit, in ventre & hepate pluribus alijs humoribus permixta vim suam exercere nondum posse. At vbi secreta iam quodam modo sint, & partibus adhærescere sola incipiant, tum demùm etiam præcipuè ipsa nocere. Profecò non est obscurũ, talia promptius lædere, cùm aquosæ substantiæ duntaxat permixta sunt, quàm si cũ crassioribus humoribus confusa sint. Nam in vrina facilè segregata subsident, faciliusq; penetrant & adhærēt. Nisi, inquam, tale quid sensisse putetur, vix video, quomodo vera ipsius sententia esse queat. Etenim in ventriculo primum fit ingestorum dissolutio: vt terrena in intestinis discreta maneat, & quod succũ habet vtilem, solum ad hepar penetret. Non tamẽ hoc sentio, non admisceri huic etiã semper aliquid maliid quod si nihil aliud, excrementorum in hepate generatio perspicuè probat. Quod inimicum & inutile est, mox in hepate separatum à bono excernitur vel per vrinas, vel per sudores: vel ad intestina, splenem, & fellis vesicam: vel retrocedit: vel retrahitur. Hac de causa non vtile tantum ad hepar pertingere dixi, sed illud solum, quod vtilem in se succũ habeat. Nam quod nihil

*In ventriculo dissoluitur ingesta.*

*Ab hepate nihil attrahitur vtili succo destitutum.*

nihil tale continet, ne attrahitur quidem. Ex enumeratis patet, valdè incertum esse, quod de talibus pharmacis dicitur. Nam siue actu, siue potentia talia existant, intelligi nequit, quomodo certæ alicui parti solū uel nocent vel prosint. Non enim aut spontè ad eas transeunt magis, quàm ad alias, propter occultam potestatem: præsertim cum vim obtinent nocendi: nec attrahuntur ab eis. Prouidit enim natura maximè rebus vniuersis hac in parte, vt noxia sibi cauerent. Et si quæ talis in medicamento integro facultas inest, eam in dissolutione & corruptione sua in ventriculo perire necesse est. Quanquã in venenis & maleficis res videatur aliter habere. Cor enim pleraq; petere putantur: ipsumq; præcipuè affligere. Attamen non ita fortasse est. Sed damnum quod cæteris partibus inferunt, minus præsentitur: atq; tunc solum manifestè percipitur, cum spiritus cordis iniuriæ magis opportunos corrumpunt. In præsentia de his non admodum loquimur, sed de illo tantum genere sermo nobis maximè est, quod extra quatuor à Galeno commemorata genera supra ponebamus: & quod inter ea, quæ sumuntur, connumerari possit. Quod si benigna quædam sua natura cum vna aliqua parte magis conueniunt, quàm cū alijs, id à temperamento ferè, & à qualitatibus materiæ obtinent. Certū est, ex alijs cibus carnes, ex alijs nervos & ossa, ex alijs alias partes felicius nutriri. Omnes tamen omnibus partibus conuenire aliquo modo oportere non minus constat. Ita penes res in alijs, medicamentis scilicet appellatis, quoq; habet. Nam cum pars quælibet corporis cum cæteris omnibus familiaritatem habeat euidentem, necesse est, quod vni est familiare, cæteris non sit inimicū: & quod vni inimicum perniciosumq; est, cæteris non sit salutare.

*Venena quædam in ventre non videtur dissolui.*

*Amica vni parti non sunt inimica alijs.*



*Pharmaca noxia non ducuntur à facultate corpus  
regente ad partes iniuriæ obnoxias.*

Cap. XLII.

**Q**Uod aliqui hoc loco dici posse iudicarunt, videlicet medicamenta huiusmodi nec sua sponte ire ad partes certas, nec à partibus illis attrahi, sed à facultate corpus regente illò propelli, mihi nequaquam verisimile videtur. In causa est hoc primum, quod hæc facultas de corporis salute sollicita, vt sic loquar, hoc potius agat, vt ne ad locum seu partem pati habilem perueniant pharmaca perniciofa: sed circa eas partes dissoluantur, quibus nocere non possunt. Aliter si faceret, non prouideret saluti corporis, sed interitum ei procuraret. Deinde quod aliæ corporis partes nihil à se repellunt, & ad vicinas partes protrudunt: nisi quod molestiam ipsis aliquam exhibet. Et cum noxia medicamenta ea copia non exhibeantur vnquam, aut certè rarissimè, vt sola quantitate molesta fieri creditur queant, confectarium est, qualitate sua molestiam adferre. Id si verum est, vt re vera est, omnibus partibus ex æquo sunt perniciofa, quantum in ipsis est. Quòd si alijs plus adferunt incommodi, quàm alijs quibusdam, inde euenire necessè est, vel quòd minus his adhærescant, quàm illis: vel quòd hæc minus oportune sint iniuriæ, quàm illæ. Agunt ergo tum vtilia tum noxia medicamenta in vnam partem plus, quàm in reliquas, non quia potentia quadam abdita magis ei inimica aut amica sint: sed quia vel diutius ipsis adherent, vel minus resistere quædam possunt: vel quia superiora cum ad ipsam perueniunt facta sunt, quàm cum alijs adhærescerent. Sic multa ventriculo non sunt molesta, quæ partibus post ipsum sitis admodum graua sunt. Non ergo videtur verum, quod videbatur, quæ-

*Facultas  
corpus re-  
gens nõ du-  
cit pharma-  
ca noxia ad  
partes pati-  
biles.*

*Cur ventri-  
culũ aliqua  
non ledant  
quæ cæteris  
mèbris no-  
cent.*

quædam virtute quadam latente certis obesse partibus, cæteras nihil lædere.

*De medicamentis pectus purgantibus.*

*Cap. XLIII.*

**Q**uomodo ergo interroget aliquis, aliqua medicamenta humores ex pectore educunt? in cæteris autem partibus nihil tale operari cernuntur? Duplicia sunt medicamenta expectorationi conferentia. Alia humores crassos lentosq; incidunt & abstergunt: alia contrà eosdem crassiores magisq; cohærentes efficiunt: ne humor vel propter tenuitatem spiritus impetum subterfugiat: vel propter crassitudinem efferri nequeat. Vtraq; vel in ore & sub lingua continenda dantur, vt aliquid inde paulatim in pectus destillet: vel deuorantur. Priore modo si vt èda exhibeantur, quis miretur, si in alias partes nihil agant? Nusquam enim aliò pertingunt. At si altero modo sumantur, in ventre primum concoquuntur: deinde in hepate in sanguinem conuertuntur. Hinc in pulmones sanguis inde genitus distribuitur: & humores ibi contentos aut compingit, aut dissecat inciditq;. Iam vt talia medicamenta, dum in ventriculo & hepate permutantur, plurimisq; cibis & humoribus permixta sunt, nihil notatu dignum agant in alijs tamen partibus efficaciter pro sua natura agent non minus, quàm in pectore. Non enim ex his genitus sanguis vel omnis in pectus, vel in solum pectus distribuitur: sed in alias quoq; corporis partes dispertitur: vt iam copiosè ostendimus. Cur igitur ex solo pectore sputa educunt? Multiplex potest esse respõsio. Nam vel non est in alijs partibus pituita eo modo collecta: vel nõ tam diu alibi ac in pectoris cauitate permanent: vel non tanta copia in alijs partibus, quanta in pectoris ca-

*Medicamēta expectorationi seruiencia duplicia sunt.*

*Cur expectorãtia ex solo pectore sputa educunt.*



Quo pacto  
medicamen-  
ta sputum  
educant.

uitatē illabi potest, reperitur: vel non aduertimus nos quod idem alibi etiam operentur: vel denique non est æquē apta ad incisionem materia alibi collecta, vt quæ in pectore existit, vel non habent reliquæ partes instru-  
menta efficiendi incisam dissectamque pituitam, qualia thorax habet. Nihil nostra hoc loco refert, quid respon-  
dere vnusquisque malit. Vera & breuis responsio hæc est, medicamenta sputum propriè non educere, sed tan-  
tùm materiam præparare, cùm lentam abstergunt: cras-  
sam incidunt: aquosam & tenuem incrassant & compingunt. Idem hoc vbique faciunt, quantum in ipsis est. Quod ex alijs partibus nulla exspuitur, in causa est, quod à natura non sunt ad id factæ: sicut neque oculus ad generandum sanguinem, quod hepatis munus est, sed ad visionem creatus est. Certum est, Galenum in 5. simplic. pharm. cap. 2. omnium horum certas notaf-  
que causas, non occultas potestates attulisse. Qui simili-  
liter in cæteris facere tentabit, haud difficulter intelli-  
get, reddi causam posse omnium ferè, quæ vni parti ma-  
gis obsunt aut prosunt, quàm alijs: vt non sit necesse ad occultas istas potentias recurrere tam crebrò.

*De sanguine hircino: qua vi calculos rum-  
pat. Cap. XLIIII.*

Sanguis cer-  
uinus, ca-  
preo, oru,  
vulpinus,  
etc. lapides  
renum frã-  
git, instar  
hircini.

**D**E hircino sanguine calculos renum & vesicæ cõ-  
minuente, maior videtur esse quæstio. Non de-  
sunt, qui ceruinum æquē efficacem asseuerant.  
Sunt qui vulpinum similiter commendant: nec affir-  
mare verentur idem lapidem in eo per triduum mace-  
ratum frangi. Quinetiam calculosi hominis pectinem  
eo perungi docent: calculumque inde rumpi aiunt ve-  
sicæ. Multi leporino eandem facultatem attribuerunt.  
De lepore in aceto suffocato, inque puluerem redactio:  
præterea

præterea de vsta pelle, eadem iam olim narrata sunt. Ego de his, quia periculum non feci, alios sine fructu fecisse aliquando memini, nihil habeo, quod constanter affirmem. Hoc ausim dicere, siquidem hircinus sanguis specifica virtute, non temperamenti qualitate aliqua, renum vesicæque calculos rumpat, non debere cum diuersi generis saxa vel lapides frangere. Certè dicitur non minus efficaciter, (& quidem tali facultate, quam à forma obtinuerit,) Adamantem frangere: què specie diuersissimū esse à renum calculis nemo nescit. Similiter alios cuiuscunque generis lapides cōminuere posse à quibusdam creditur. Caterū inter quæ potestas occulta intercedit, non reperitur inter diuersi generis res alias. Sic Magnes non metalla omnia, sed ferum tantummodo trahit. Plus esse inter lapides discriminis, quàm inter metalla, nullus, puto, ambigit. Quocirca non posset occulta ista facultate in res tam diuersas eodem modo agere. Etenim hanc ipsam ob causam occulta vocantur, quod in vnam aliquam certam rem vires suas ita exercent, vt in alias nihil tale posse videatur. Adde, quod non solus hoc facere creditur: quod iam dictum est. Postremò ne frangere quidem semper omnesque calculos potest. Si enim hoc semper posset, felices forent calculosi: vt qui nõ necesse haberent tanto vitæ periculo sectoribus istis se subijcere. Medici quidam hircos antè nutriunt herbis tenuantibus, & calculos sponte sua interdum rumpentibus: quod efficaciorē potentiam eius sic reddi persuasum habeant. Hæc si vera sunt, valdè probabile est, à temperamenti qualitatibus talia ab ipso nonnunquam fieri.

*Occulta virtute in rebus aliquam agēs, in aliis nihil agit eadem virtute efficaciter.*



De Galerita viribus in colicis sanandis: & Lupi-  
no stercore. Cap. XLV.

Galeritaco  
mesta nil  
admodū iu-  
uat colicos.

Stercus lu-  
pinum ap-  
pensum an  
proffit

Galenus  
nullam ha-  
buit fidem  
appēsis me-  
dicamētis.

**L**Audant Galenus & Aetius, (neq; hi soli) alaudæ a-  
luiculæ cristatæ vsum in doloribus colicis: eam quæ  
hos dolores, si frequenter comedatur, persanare af-  
serunt. Ego colicis sæpenumerò plurimis & longo tem-  
pore exhibui: fructum inde nullum persensî. Galenus  
commendat etiam in eodem morbo, lupinum sterces  
in olla parua appensum: quasi mirificè opituletur. Si  
quādo experientiam suffragari sensero, cū rationem  
intelligere vel audire nullam hæctenus quiverim, perli-  
benter credam. Si à tota substantia colicos iuuat sterco-  
ris lupini appensio, omnem colicam omniq; temporis  
occasione iuuabit. (Sic enim Galenus iuuare scribit,  
quæ tota substantia, non autem temperamenti viribus  
profunt: cū testudinis sanguinem dolori capitis à to-  
ta substantia mederi negat.) Quare liberabit à dolorib.  
colicis appensum sterces tunc etiam, cū materia do-  
lorem faciens multa præsens adhuc est. At hoc quis cre-  
dat? Sanè Galenus non multò post, cū de ciconiarū  
stercore loquitur, in ea videtur opinione fuisse, morbos  
tales curari, siue dolores tales sedari mitigariq; nō pos-  
se, non ablata materiali causa, quæ eos primum effecit:  
ac deinde fouit. Quare necesse erit, vt hoc pacto suspen-  
sum sterces, vel pituitosam materiam, vel flatulentum  
spiritum extendentem vacuare cogitemus: si multum  
prodesse speremus. At verò quomodo materiam inte-  
stinorum vacuare suspensum duntaxat valeat, nemo fa-  
cilè dixerit. Quid quod hunc ipsum locum in quo ista  
scribit, attentè cōsideranti facilè suspicio oritur, ipsum  
non vehemēter laborasse, vt alijs talia persuaderet, qui-  
bus ipse non satis fortasse confidebat? Nā obiter se tan-  
tū ea dixisse ait: pro illis, scilicet, qui sic suspēsis fidem  
habere

habere velint. Sed nec causam ullam adducit aliam, cur  
 hisce plus vitium insit, quàm alijs quibusvis, quæ appē-  
 di tū solebant: quàm quod hic substantia, non vel bar-  
 bara dictiones vel characteres, appendatur. Quasi ve-  
 rò plus agat in corporis nostri humores substantia nul-  
 lum ex se vaporem emittens, quàm aliud quiduis. Si va-  
 por ex ipsa effluens in profundum descendere cogite-  
 tur, & humores ibidem contentos discutere, non sine  
 ratione fides talibus habebitur. Quanquam tardè ad-  
 modū, quod volumus, perficietur: præsertim cūm ma-  
 teria multa cōjrt, infarctaq; amplius est. Tardius multò  
 iuuabunt, quæ non vapore, sed qualitate sola in profun-  
 dum penetrante humores collectos dissipare credun-  
 tur. Ex quibus cognosci potest, si quid ex appenso lupi-  
 no stercore, (& similibus alijs in morbis quibuslibet à  
 materia excitatis.) in doloribus colicis præsidij & auxi-  
 lij expectandum sit, per exiguum omninò, (vt ne dicam  
 prorsus nullum) id necessariò futurū. Ex deuorato, aut  
 saltem cataplasmati modo imposito, plus ego sperem.  
 Non est obscurum, quid de canino stercore, & alijs præ-  
 terea Galenus eodem libro scripserit: nempe quantum  
 sumpta eiusmodi prosint. (Caninum stercus per clyste-  
 rem infusum profuisse scio: at nō occulta, sed nota vir-  
 tute.) Atq; de euentu tunc dubitare nullus potest: cūm  
 manifesta ratio verum docet, experientiaq; consonat.  
 Haud inscitè mihi videtur in præsentī negotio pronun-  
 ciasse Theophrastus lib. 9. de plantarum histor. cap. 21.  
 de περιλάπτοις & similibus loquens, τὰ μὲν ἐν τοιαῦτα, in-  
 quit, καθάπερ καὶ πρότερον ἐλέχθη, σωάνζειν βλαπομένων ἐσι-  
 τῶς ἐαυτῶν πέχνας. Sed de talibus in disputationibus Au-  
 tiparacelsicis copiosius egimus. Verboſius istanunc ex-  
 posui, vt non prorsus nullis rationibus negari posse cer-  
 neres, quod à compluribus creditur, medicamenta cer-  
 tis partibus quædam amica, quædam vero inimica esse,

*Nihilò plus  
 agit appen-  
 sa substan-  
 tia charac-  
 teribus.*

*Caninū ster-  
 cus quomo-  
 do colicis  
 conferat.*

*De suff. èſis  
 quid senser-  
 rint vete-  
 res.*



cæteris non item: iquæ per occultam vocatam proprietatem. Quod omnia ferè vni alicui parti magis quam reliquis vel commodent vel incommodent, satis notum & à me antea explicatum est. At non per incognitam, sed per notam qualitatem id euenire certum est in plerisque omnibus. Facilius stramina leuesq; arundines, quam densæ trabes ab igne comprehenduntur. Nec difficile est homini non prorsus rudi, euentus istius videre causam. Ita frequenter certæ corporis partes à quibusdam medicamentis facilius, citius, amplius, vel iuuantur vel læduntur: nec cur id fiat non scitur. Vnde liquere iam arbitror, quid ad Galeni locum ex 1. de compositione secundum gen. supra productum responderi queat. Equidem si de omnibus eadem habuit opinionem, res plana est. Nullus enim nescit & expectoratum & Nephriticorum, diureticorum, & similibus, causas non prorsus ignotas esse. Si verò aliter intellexit cantharides, vesicam, leporemq; marinum pulmones exulcerare, impedimento sunt quæ diximus: & quæ præterea rectè dici possunt. Ad alia testimonia non est opus, vt quidquam præterea dicatur. Quippe satis manifestum est, cur, & quomodo, medicamenta quædam hepatica, Splenica, Nephritica, &c. sint & vocentur.

*Quatenus medicamenta à tota substantia certis partibus præcipuè prodesse aut nocere putandum sit. Cap. XLVI.*

*Quædam pharmaca vi occulta certis partibus præcipuè prosunt vel obsunt.*

**Q**uod ad me attinet, non prorsus nego inueniri medicamenta, quæ certis partibus præcipuè prosunt à tota substantia, (vt Galenus hanc rem exponit) siue ab inexplicabili temperamenti proprietate. At eadem alijs quoq; partibus paulò minus conuenire puto. Non tamen eodem modo prorsus de nocentibus iudicandum arbitror. Nā illa à partibus attrahi rationi consentaneum

taneum est: hæc attrahi non possunt. Probauit autē ipsa nec vltro ad eas partes accedere: nec ab alijs partibus eò depelli, nisi ipsdem molesta sint. Nec in vnam magis partem hæc à singulis detrudi, quàm alia omnia molestiam adferentia, notum confessumq; est. Quæ amica sunt, vix vnquam medicamenta sunt solum: sed inter nutrimenta reponuntur. Quæ verò contraria sunt, medicamenta tantum existunt. Quæ si plus nocent vni parti, quàm alijs, ad quas peruenerunt, in causa est illorum aliquid, quæ supra exposui: non occulta proprietates. Sequuntur autem diuersi effectus noxijs medicamentis læsionem pro natura partis, quæ ab eo læsa est. Quæ aures lædunt, ea visum non hebetant: sicuti neq; quæ oculos mordent, grauem auditum pariunt: nisi auribus etiam incommodum adferant. Ita fieri potest, vt læsio, quam hepatis, exempli gratia, medicamentū aliquod attulit, non sit intellecta: at quam vel pulmonibus vel vesicæ idem illud creauit, omninò visã cognitaq; sit. Non iam rectè hinc cõcluserit aliquis, solos pulmones ab eo læsos, quia hepatis læsionem minus cõmodè notare obseruareq; potuit. Quare tandem ad tuam quæstionem tibi sic respondeo, reperiri medicamēta, quæ simul sint etiam nutrimenta, vni magis parti, quàm alijs cõuenientia. At medicamentū aliquod inueniri tantum, vix credo. Si quod reperitur pharmacum, quod per os sumptū tale quid possit à substantiæ familiaritate efficere, quomodo idem illud non nutriat, haud facilè perspici potest. Possunt quidem duæ substantiæ familiares inueniri fortasse, quarum natura alteri sit nutrimentum: si cui libeat sic vocare substantiam, quæ magis apta sit in vnum quàm alium humorem verti. Qua ratione Rhabarbarum cholerae flauæ, cnicum pituitæ cibum aliquis esse dixerit: quia in hos humores alterata facilius vertantur. (De qua re alibi nostram mentem

Occulta vè  
iuuãtia cer  
tam partē  
nutriunt e-  
tiam.

Summa re-  
sponsonis  
ad primam  
quæstionē.



aperiemus.) Hoc autem in corporis partibus, quæ nutriuntur, & facultatem possident ad mota transmutandi, sibiq; assimilandi, locum habere nequit. Quo fit, vt, quæ iuuant, omnia ferè in ciborum genere esse putem. Quæ nocent, venena quodammodo esse censeam.

*Duo sunt alimentorum genera certis partibus conuenientia. Cap. XLVII.*

*Conuenientis duo sunt genera.*

**E**T cõuenientis quidem duo genera facit Galenus, tum alibi tum in 6. de tuenda sanitate: alterũ à nutritis qualitatibus: alterum à substantia tota. Illud autem omnibus intelligi, hoc sola experientia cognoscit. Ac maximam hæc vim habere, vt non in ventre modo, sed etiam in toto corpore conficiantur. Huius ratione nutrimenta animalibus & varia & speciebus inter se plurimum diuersa haberi: quod nulla sit similitudo eius, quod ex palea & herbis accedit, cum eo, quod ex carnibus & ossibus, ex pane, & cicuta, ex veratro gignitur. Hæc ita se habere cum quotidie experiamur, dubitare non multum possumus, quin, quemadmodum reperiuntur cibi, quos venter maiore minoreque voluptate appetit, recipit, complectitur, conficit: ita inueniantur etiam, qui hepatis alijsque partibus familiariores, quam cæteris visceribus existant. An autẽ præter hæc alia quoque sint iuuantia, latente scilicet facultate, nõ facillè dixerim. Oportet namque talia, Galeno teste, semper & omni tẽpore iuuare: & in omni morbo prodesse: nec tamẽ nutrire. De nutrientibus, nulla excellenti qualitate præditis, nullus, arbitror, dubitet, quin semper profint. At de non nutrientibus vix tale quid fingi posse video. Nec admittendum aliquid censeo, quod non à probatis authoribus rectè vereque comprobatum fuisse constet. Tutissimum mihi semper visum fuit, parum

*A tota substantia parati alicui familiaria semper prosperant.*

parum talibus fidere: neq; ante experiri, quàm in alijs nihil spei esse. putaretur reliquum: sicut author de affectibus renum consuluit. De nocentibus satis multa supra diximus.

*Responsio ad secundam questionem: & quid Artifex imperito in his præstet.*  
 Cap. XLVIII.

Cum porrò secundo loco methodum tibi à me indicari desideras, qua noxia ab vtilibus dignoscere, & quod cuiq; parti optimum aut pessimū sit perdiscere queas, plus à me petis, quàm præstare possim. Sola experientia inueniri cognosciq; posse, quæ hoc modo vel profunt vel nocent, omnes veteres pariter & recentiores confitentur. Nam nocentia (sub his etiam purgantia & Alexipharmaca seu Alexiteria nunc comprehendendo) in venenorum genere, iuuantia autem in ciborum numerari debere ostendi. At vtraq; experientia cognita sunt: & methodo comprehendi nulla valent. Non nego tamen in his etiam artificem præstare imperito & empirico. Primū, quia nō statim credit, quæ ex occasione qualibet profuisse videntur, hoc ipsum effecisse, quod hi temerè credunt. Nouit enim multis modis illos falli potuisse, qui primum periculum talium fecerunt. Deinde potest artifex inter ea, quæ per accidens eueniunt, & quæ per se à singulis efficiuntur, distinguere: imperitus non potest. Præterea suo tēpore, loco, modo, singula adhibere artifex didicit: vt profit semper, aut saltem nunquam noceat. Constat deleteriorū aliqua esse calida, aliqua verò frigida. Et hætenus quidem cognoscuntur, quod alia calefaciendo & putrefaciendo interimant, alia stupefaciendo occidant. Quæ verò ista sint, sciri nequit, nisi experientia demonstrauerit. Sic in

*Occulta proprietates non inuestigantur Methodo.*

*Occulta facultate nocentia et iuuantia sola experientia discutuntur.*



curatione adhibebit, quæ & potestate latente contraria sint: & simul etiam vel refrigerent vel calefaciât. Sed & hæc non aliter, quàm per experientiam cognoscuntur. Hæc & huius generis alia videt artifex, quæ imperitus artis ignorat. Quamobrem sæpe sua spe frustratur: ac obest sæpenumerò dum prodesse cupit, omninò plurimum. Multò frequentius, quæ maximè conducere putabat, nihil iuuant: propterea quod virtute illa carent, qua prædita opinatus fuerat. Quod inde accidit, quia per accidens aliquando profuisse vidit. Ergo virtutè & facultatè vterq; per experientiã inuenire cogitur: nec ista in re imperito multũ præstat peritus: tametsi aliqua parte hic etiam præstet: vt supra docui. Præter id, quod supra diximus, hoc etiã antecellit artifex, quod rectè de experientia iudicare, aptè distinguere, & cognitis rectè vti potest. Aliã tibi methodũ hic præscribere nequeo.

*An occulta vi agentia sola experientia inueniamur.*

Cap. XLIX.

*An latentes rerũ vires per temperamentum suũ omnia agant.* SI verum esset, quod aliquando audiui à nō indoctis hominibus affirmari, latentes istas potestates temperatura sui subiecti, in quo insunt, ita pro instrumento in omni operatione vti, sicut anima in sito calore ad nutrimenti concoctionem vtitur, haud longe ab ea felicitate abesse alicui videremur, vt arte inuestigare vtriusq; generis abditas potestates possemus. Non enim aliud agerent, quàm quod per qualitates elementares perfici posset. Sicut artifex malleo, exempli gratia, non terebrare, nō secare, sed tantũ percutere & tundere potest: ita ferè hic quoq; eueniret. Tunc prudēs, eruditus, exercitatos sensus habens Medicus, iuxta artis nostræ præcepta, ex primis & secundis qualitatibus propè cõjicere posset, quid de singulis expectandũ foret. Tametsi nanq;

nanq; nō exactè temperaturā cognoscere potest quisquam, potest tamē, qui iudiciū & vsum adfert, propius accedere, quā v̄t omninō ignoret. Verū nec fingi nec dici posse existimo, quomodo & per quā qualitātē notam Struthionem ferrū putemus cōficere? Calore ne? Atqui tunc vel ignis vel Leonis ventriculus multō magis hoc opus perfecerint. Nec refert, quod nō est vtrobq; eadē causa primō mouens, si nō secus agere quā calefaciendo (siue per calorem) potest. Vt enim serra, quisquis ea vtatur, non aliud quā sectio fit: ita calore non aliud, quā calefactio fit: quæcunq; causa ipso vt instrumento vtatur. Deinde si calor est, qui ferrum atterit, calefieri ipsum oportet. Si eousq; calefit, vt iam etiam consumatur, quomodo non ventrem perurit? Si absq; tanto calore ferrum cōminuitur & consumitur, quantus ipsum soluere posse videatur, habemus quod volebamus: nempe alia potentia alioq; instrumento quā calore id perfici. Certè Aristoteles, vbi accuratè de his rebus disputat, haud aliter loquitur, quā formam substantialem primum esse agendi principium: ac tēperamento ipsam vt instrumento vti. Ergo si absq; tēperie nihil agit forma, meritissimō nō alibi quā in qualitibus notis, causas actionum omnium quæremus. Ego sanè, vt non nescio, quasuis actiones à comōdo temperamento adiuuari, ab incōmodo impediri aliquatenus, (quippe qui mihi persuasi, ne adesse quidem rebus suas formas posse sine apta temperie,) ita non concedo, substantiales formas in composito nihil agere, cuius causa in elementorū qualitibus nō reperiat̄. Rationē huius rei supra exposui, cū quæ & proprietatū & formarū principia essent docerē. Cōcludo igit̄, abditas istas potestates nulla posse ratione ac methodo perquiri, sed sola experientia & ἀλόγω τριβῆ, (vt author de renum passionibus loquitur,) inueniri. Quod de illis

Struthio  
ferrum non  
conficit v̄t  
tēperamen  
ti.

Forma sub  
stantialis est  
primum a-  
gendi prin-  
cipium.



tantum accipiendum est, quæ per specificam proprietatem, hoc est, per virtutem substantialis formæ agunt: quorum in arte nostra nullum, aut certè non magnum usum esse ostendimus.

*Proprietates occultas secundæ speciei coniectura  
indagari posse. Cap. L.*

De occult.  
2. spec. pro  
priet. velut  
diuinare  
possumus  
aliquid.

**I**N altera proprietatum specie, quæ temperamentum & materiæ proprietatem comitantur, τεχνικὸς σοφισμὸς locum fortè aliquem habeat. Quamvis enim τῆ μιξεως λόγον mensuramue, vt appellat Aristotel. arte inuestigare & comprehendere non modo difficile sed etiam impossibile est, attamen, quia sine qualitatibus notis talia vix agūt aliquid, poterit sagaci ingenio præditus ad scopum propius accedere: & de ea facultate quibusdam coniecturis quasi diuinare. Certum nihilominus est, omnia hęc quoq; tam obscura esse, vt nemo facilè multum sibi polliceri audeat: de qua re supra disserui: ac nunc etiam breuiter aliquid dicam. Galenus occultam hanc proprietatem, siue totius substantiæ qualitatem nobis apertè admodū describit lib. 4. de Simpl. fac. cap. 15. Ex quatuor elementis, inquit, particulatim corporibus omnibus constant generationes, imparēs mistura ac diuersæ. Siquidem quædam ignis, quàm aliorum elementorum, in se plus cōtinent: quædam aquæ: sicut alia, si fors ita tulit, terræ: nonnulla aeris. Ex eiusmodi itaq; imparitate proprietates corporum particularium sunt perfectæ. Ex elementis quidem plantarum, ex his aut animalium, sicut in lib. de Elementis demonstratum est. Ex his Galeni verbis, non videtur impossibile occultas istas proprietates aliqua ex parte Methodo inuestigare: quanquam multis partibus facilius sit temperamentum propositarum rerum quarumlibet inue-

inuenire. Huc accedunt alia etiam eiusdem sententia, quas breuitatis causa tantum indicabo: non explicabo. In eodem libro cap. 18. ait, se herbam à Centurione quodam Lycopersium uocatam, ex solo odore coniecisse lethalem esse. Simile quippiam cap. 22. etiam reperitur. Præterea lib. 5. eiusdem operis, cap. 23. rationale esse ait, vt Nymphæa, quia frigida sit & sicca, tota substantia semini contrariè affecta iudicetur. Iam quod cibi, ratione totius substantiæ cibi & alimenta sint, non à Galeno solum, sed ab alijs etiam scriptum creditumq; est. Quis verò nescit, eundem Galenum ex odore & sapore docere iudicare de cibis, vtrū videlicet utiles sint an noxijs? Certè in quarto libro prædicti operis, non semel dictum ab eo comperies. Nec multum à se ipso dissentit in libro de aliment. fac. in quibus odorati & gustati prorsus multum confidit. Quinetiam bruta videmus odore & gustu solis dignoscere inter utilia & inutilia: quibus certè homo, si cum sensibus rationem coniungat, non est inferior: quamuis ex brutis quædam sensus aliquos acutiores obtinuerint. Postremò quis non nouit, certos imò omnes ferè homines, per odoratum & gustum iudicare cibos potusq; solere? & à noxijs medicamentisq; distinguere? Ex omnibus istis videmur propè huc penetrare posse, vt tales proprietates (quas solas agnouit Galenus) methodo peruestigare & cognoscere valeamus. Cur igitur sola experientia, nulla autem methodo cognosci posse scribit? Certum est odores & sapes non prorsus nihil conferre: at exactè facultates has indicare nequeunt. Quare ad perfectam & certam noticiam, qua res aliqua tali quapiam facultate prædita affirmetur, necessaria imprimis est diligens obseruatio siue experientia. Rectè ergo in 3. de aliment. fac. de oxygalacte loquens, manu duci nos per sapes & odores ait: sed

*Occulta  
Lycopersij  
vis Gal. per  
odorè de-  
prehensa.*

*Cibi metho-  
do, non so-  
la experien-  
tia inueni-  
ri solent.*

*Bruta odo-  
re & gustu  
cibos diju-  
dicant.*

*Ad perfe-  
ctā ciborū  
noticiā re-  
quiritur ex  
perientia.*



90  
 alia quoq; obseruanda monet. Idem libro 2. cap. 61. & 1. libro cap. 1. satis apertè dixit. In 6. de Simp. fac. cap. de Abrotono ait, in quibusdam, non tamen in omnibus, suspicionem tantum probabilem inueniri: certi per rationem cognosci nihil posse. In causa est, quod propter modum omnia ex diuersis natura partibus conflata sunt: & quod multarum sæpe partium sapes à gustu non percipiuntur. Quæ vt dilucidius intelligas, ad locum ex Galeno supra ex 15. cap. 4. libri de Simp. fac. citatum recurrere te conuenit: atq; citatis ea adijcere, quæ de transmutatione mutua mistorum ibidem eruditissimè, sed breuissimè, differit. His coniungere te uelim, quæ ab Auicenna 1. Canone cap. de complexionibus disputata sunt. Vt hæc inter se cõferre facilius possis, quæ supra de eadem re dixi diligentius ac sæpius relere poteris.

Cur proprietates temperamentū sequētes methodo plenè inuestigari nequeant.

*Qua via Veteres rerum vires occultas inuestigasse videantur.*

Cap. LI.

Veteres cõiectura vsi rerū vires indagarūt.

R Ecitatam à nobis viam incessisse illi mihi videntur, qui primi eiusmodi tentare & experiri aggressi sunt. Cogitasse videntur primum, quæcunq; saporem, colorem, odorem, substantiæq; modum non disparem haberent, eorum temperamenta non admodum dissimilia esse. Deinde cum similia similibus amica esse accepissent, facilè inde confecerunt, hepar hepatis, ossa ossibus, renes renibus, præcipuè conuenire. Postremò cum facto periculo non infœliciter conatū aliquando cecidisse viderunt, probabile est ipsos confidentius ad reliqua progressos fuisse. Hoc modo fradet Galenus, vt qui cognoscere desiderat, an sanguis humanus utilis sit alicui morbo, in suillo periculum faciat

faciat: quem humano per similem esse prorsus constat. Eandem secutus est is, testante Galeno, qui, cum in cranij perforatione columbæ sanguinem ad manum non haberet, palumbis vsus est. Similiter is quoq;, qui, cū ne palumbis quidem haberet, turturis sanguinem felici vsurpauit euentu. Quippe similia, inquit Galenus, effice re similia posse experti sumus. Et lib. 7. de plac. Hipp. & Plat. cap. 5. de neruorum & cerebri similitudine verba faciens, hæc scripsit. Natura enim ita comparatum est, vt substantiarum proprietates facultatum etiam sibi conuenientium proprietates secum habeant. Vnde fit, vt quantum vnusquisq; neruus, ex ijs, qui propriè sensifiçi appellantur, à natura cerebri recesserit, tantum etiã sit à virtute facultateq; eius remotus. Huc vsq; Galenus. Hinc fortasse factum est, vt humanū cranium epilepticis: (& marium quidem maribus, feminarum autem feminis, ) cerebra gallinarum & aliarum quarundam auium, cerebro, pulmones vulpis & eritijs, pulmonibus: interiori ventriculi gallinarum mergorumq; tuni- cam, ventriculo: lupinum hepar, hepatis: intestina & excrementa lupi, intestinis eorumq; doloribus: vsta hominis ossa, ossibus: renes, renibus: horum calculos eorundem calculis: & membrum ferè quodlibet comestum sui generis membro conducere existimatum sit. Notum est quid de combustis ossibus Galenus lib. 11. de Simpl. facult. scribat, multorum tum Epilepsiam tum arthritim horum vsu percuratam fuisse. Eadem ferè Auicenna, ( siue ex Galeno siue aliter didicerit, ) affirmavit. Huius generis & illa sunt, quod in vesica procreati lapides, vesicæ calculos in potu exhibiti rumpant: quod rabiosi canis iecur comestum, à rabie liberet: & alia prope modum infinita. Eadem ratione pronunciaffe Galenus uidetur, purgantium pharmacorū vnumquodq;, humorē sibi simi- lē ex corpore educere. Et si purgatione

Vnde pul-  
uis cranij  
Epilepticis  
prodesse  
creditus sit.



frustretur, in illum sæpè humorem, cum quo similitudinem habere putetur, permutari. Ex omnibus enumeratis quædam commendat ac probat Galenus, vt stercus lupinum: de quo multa satis supra diximus. Alia nec probat multum, nec seriò improbat: vt ossa vsta. Alia prorsus abiicit, vt falsa: cuius generis est interior pellicula ventris gallinæ ac mergi: hepar lupinum: calculi vesicarum: & similia. Quàm multa comperiuntur hodie inutilia esse, quæ multorum antiquorum scriptis sunt celebrata? Non de illis tantum loquor, quæ repudiavit Galenus, sed quæ approbavit. Lupinum hepar a libi dixit medicamentum hepaticum nihilo melius reddidisse: alibi à tota substantia plurimum conferre asseruit. Sed ideo benignum visceri esse iudicauit, quia nutrire ipsum possit: & nec calidum nimis sit nec frigidum.

Valdè incerta sunt, quæ de occultis pharm. plurimorū viribus scribuntur.

*Cranium humanum, &c. malè propinari Epilepticis.*

Cap. LII.

Cranium humanum non nutrit cerebrum.

Humana ossa deuoranda propter inopiã est.

QVod vt de hoc verū sit, de cranio humano vtriusque ossibus quis credat? Non enim aut cerebrum aut cranium aut alia capitis pars, cranii ossiumue vtriusque cinere seu puluere nutritur. Quod si iuuant, ideo nimium iuuant, quia humorem, morbi causam, exsiccant: nullus videtur alius modus esse reliquus. Certum est, cum vruntur, inque puluerē hoc modo rediguntur, formam substantiæ ipsa amittere: & aliud nil superesse, quàm elementares materiæ qualitates. Vt ista habeant, quàm humana hominibus deuoranda exhibere, abominandum ac impium semper censui. Scio quoque cranij humani puluerē, etiã bene præpurgatis, sine successū aliquoties præbitū fuisse. Vtilitatē fortè attulisset, si lōgo tēpore ægri eo vti potuissent. At quis humana cremet ossa aut deuoret cere-

maria.

mata, si sciat, non crudelis & inhumanus? Quanquã nõ  
nescio repertos esse, qui tepẽtem ex decollati hominis  
cadauere permanantem sanguinẽ bibere sustinuerunt.  
Sed id vix semel. Si de mea experientia dicere aliquid  
inbeas, ausim affirmare, me deprehendisse cornua cerui  
na vsta non minus efficaciter exsiccare posse, quã of-  
sa vsta: in doloribus colicis, dysenteria, & similibus. Sed  
ista pluribus iam persequi non vacat. Non opus etiam  
est. Nam ex recensitis facillẽ intelligitur, haud rectẽ sem-  
per illos ratiocinatos fuisse, qui, quã similia vidẽtur, si-  
mile quoque temperamentum nacta esse opinati sunt.  
Cur & quomodo decepti sint, ex supra dictis colligi po-  
test sine magno labore. Deinde liquido ostensum est  
quoq; illa non semper iuuare, quã similia quodammo-  
do visa sunt: propterea quod non omnia nutrire talia  
possunt: & quod partes sæpe noxias habent cõiunctas:  
quas nullo sensu comprehendere possumus.

*Cornu cer-  
ui vsti non  
inualtus  
est cramo-  
ris ossibus  
humanis vs-  
tis.*

*An & cur Brassica vitibus inimica sit.*

*Cap. LIII.*

**P**lacet hoc loco, quo res magis illustretur, monere  
obiter, non tantum in Medicina huiusmodi falsa es-  
se pleraq; , sed etiam extra eam penẽ infinira talia  
inueniri. Vt cætera, de quibus rectam me certamq; ha-  
bere experientiam noui, omittam, brassicæ duntaxat  
exemplum adscribã: præsertim cùm tale sit, quod qui-  
libet videre & cognoscere possit. Seritur aut plantatur  
ca in his locis, vt tu ipse vidisti, frequenter admodum in  
vineis & antiquis & nouellis. Adnascitur maioribus mi-  
noribusq; propaginibus. Imò inter nuper plantatos pal-  
mires aut defossos tantum, vt radices nec dum egisse  
potuerint, plantatur in magna copia: & nihilominus  
vraq; felicissimẽ proueniunt: odium certẽ nullum al-

*Brassica in  
vineis plan-  
tatur.*



*Sepe au-  
dita credi-  
mus, prius-  
quã explo-  
rauerimus.*

*Gemmae nõ  
sunt virib.  
tantis præ-  
dite quan-  
tæ eis vul-  
gò tribun-  
tur.*

terius erga alterum animaduerti potest. Nihilominus à Theophrasto, Plinio, Varrone, alijsque compluribus scriptum legimus, implacabili odio, & occulta antipatheia hætenus inter se laborare, vt vites à brassica proximè plantata se veluti auertant. Quid hic aliud putabimus, quàm præstantes hosce viros, quæ ab alijs acciperant, credidisse, ac operibus suis inseruisse? Quod cû hodie quoque fiat à plerisque, mirari non debemus, quod tanta enumeretur horum medicamentorum sylua: & nihil tamen proficiant, qui illis crebrò & ferè semper vtuntur. Quid est absurdius dictu aut creditu, quàm artefactum pulegium de rectis suspensum brumali tempore florere? Quamuis non nescirem naturæ vi fieri non posse, vt verè mortua herba reuiresceret (absque semine dico,) ac floreret, experiri tamen placuit. Et cû eiusmodi experiri possimus omnes, meritò mirabitur quilibet, quomodo maior in talibus rebus Plinio alijsque authoribus ex alijs sua transcribentibus, fides habeatur à doctis etiam, quàm propriæ experientiæ. Obstupeo quoties tales nugæ ab eruditis recenseri pro veris lego. Minus miror eos de illis addubitare, de quibus periculum facere non æquè facilè possunt. Innumeris lapilli sunt, quibus admirandas vires multi adscripserunt. Si experiri velis, nihil illorum quæ promittunt plurimi de ipsis scribentes, præstare cognosces. Hoc si obieceris harum rerum admiratoribus & assertoribus, respondent adulterinos esse. Et cû hoc non possunt responsio in veris eludere, Albertum Magnum, (in istis rebus mirè superstiosum philosophum) adducunt assertentem, senio confectos occultas istas vires amittere. Alij ineptius fabulantur, ideo nihil eos agere, quia qui ipsos gestant, scelere flagitioque aliquo polluti sint. Efficaciores reddi, si aqua frigida per multos dies abluantur, quasi peccatum illis adhæserit; & inquinatio per aquæ

aquæ abluionem crebram detergi tandem possit. Re-  
 cte profectò ille monuit, cum qui præclarus esse Medi-  
 cus cuperet, non hisce, sed agentibus per qualitates co-  
 gnitas, confidere debere. Facile credo, vitibus aliquan-  
 do nocere Brassicam posse: quia nutrimentum attrahat  
 ad se copiosum. In sterili ergo & exsuccata terra non sit  
 mirum, si ira contingat. Quam copiosum ex terra suc-  
 cum ad se alliciat, facile perspici ex eo intelligique po-  
 test, quod tam celeriter tamque vehementer augetur.  
 Habent & vites opus multo succo, quod vinum ex vuis  
 expressum abundè docet. Quare mirum non est, si non  
 in quavis terra vtraque feliciter crescat, dum alteri alte-  
 ra nutrimentum subtrahit. Porrò simili ferè vtrunque  
 succo nutrirì, cum alia multa, quæ hic libèter prætereo,  
 tum destillationes ostendunt. Certum est, non Brassi-  
 cam modo, sed & alias herbas, nisi euellantur, augmen-  
 tum vitium & vuarum retardare ob eandem causam.  
 Vnde vitiores diligentiores, ex vineis omnis generis  
 plantas extirpant. Quæ ideo dico, vt videas, nõ rarò oc-  
 culte nos tribuere qualitati, quæ minimè à tali fiant: sed  
 à nota potius causa efficiantur. Nescio an non cucur-  
 bitæ multò magis nocituræ sint. Quippe celeriter hæ  
 quoque adolescunt, maximeque crescunt. Sed quia  
 neque scio an simili cum vitibus succo nutriantur, nec  
 periculum, nisi semel, feci, nihil affirmo. In horto iuxta  
 vites plantatã vidi cucurbitam. Quo in loco vites pau-  
 ciores multò vuas produxisse certissimum est, quàm  
 omnes alias paulò remotiores. Hactenus, nisi fallor, per  
 spicue declaravi, quatenus methodus in his me-  
 dicamentis locum habeat, aut  
 non habeat.

Quomodo  
 vitibus no-  
 ceat Brassi-  
 ca.

Vitis &  
 Brassica si-  
 mili succo  
 nutriuntur.

Cucurbitæ  
 vitibus no-  
 cere viden-  
 tur.



*Responsio ad questionem tertiam de Roborantibus.*

*Cap. LIIII.*

**Q**uod tertio loco quaeris, an roborantia omnia adstringendo robovent: vel alia quoque ratione: ad id responsio non videtur admodum esse difficilis.

1. *lis.* Quando cum vulgo loquimur, roborare dicuntur, quae moderata astringitione tonum membri seu partis alicuius conseruant. Saepenumero ita etiam loquimur, ut, quaecumque partem quouis modo laborantem iuuant, corroborare eandem dicamus. Hoc modo roborare dicuntur, quaecumque vel intemperiem corrigunt: vel humorem vitiosum extergunt & educunt, vel per nutrimenti familiaritatem nativam temperiem insitumque calorem fouent atque augent, vel adstringitione non sinunt laxari: vel alio quouis modo profunt. Omnia autem haec notis qualitatibus perficiuntur: excepta nutritione. Nam quae vel nutriunt partes solidas, vel spiritus recreant instaurantque, occulta virtute id efficiunt: sicut de his iam ante disputauimus. Roborare illa quoque dicuntur, quae dissolutionem aut dissipationem seu resolutionem spirituum prohibent. Saepe namque aut a doloribus aut alijs causis, per apertos meatus spiritus vacuantur, quos curat astringitione qui retinet, cor confirmasse dicitur: quantumuis ad cor medicamentum nullum peruenierit. Sic & qui lassitudinem tollit, roborare dicitur. Quocumque modo loquamur, perparum referat: si modo alia aliter 7. iuuare ac roborare intelligamus. Quae venenis resistunt, ea valde impropre roborant. Nam pleraque talia (loquor de illis quae occulta vi resistunt) partibus aut nihil profunt, cum venena nulla adsunt, aut plurimum eas praeter ea laedunt. Roborant igitur quia hostem pellunt aut arcent: non autem quia partibus, ut cordi, robur aliquod siue vtilitatem adferant. Ergo si loquamur minus accurate

*Roborare quae et quot modis dicitur.*

*Venenis aduersantia quomodo roborare dicipossunt.*

curatè & propriè, quæ quouis modo iuuant, ea corroborant atq; confirmant: illa etiam, quæ laxationem partium tantummodo prohibent, hoc est, quæ moderata adstrictione tonum earum seruant. Hoc in omni ventriculi & hepatis, imò cuiusuis partis affectione, cuius actio toti corpori aut utilis aut necessaria sit, ita obseruandum in curationibus est, vt obliuisci eius nunquam oporteat. Semper igitur roborantia, hoc est, adstringentia cæteris medicamētis in talium partium morbis admisceri iubemur ratione planè optima. Cū verò propriè exquisitèq; loquimur, rûc roborare nobis dicetur, quæcunq; partibus amissum robur, siue naturalem constitutionem aut dispositionem restituunt. Iam constat virtutum essentiam cōsistere in iusto caloris ac spirituum temperamento in conuenienti solidarum partium atque etiam carnosarum substantia, sicut Gal. cum alibi, libro, cap. 5. monuit. Ergo cū vires collabi cæperint propter intemperiem partium, hæc medicamenta tollunt, quæ suum parti statum naturalem suumq; robur reddunt, si per defectum vel carnosæ substantiæ vel solidæ pars aliqua sit imbecillis reddita, vel etiam propter spiritus vacuationem, confirmare partem, viresq; restaurare ea dicentur, quæ, quod deest, restituunt. Sæpe ergo nutrimenta, sæpe intemperiem emendantia, sæpe spiritus generantia corroborare dicuntur nō pessima ratione, sed profus iustissima de causa. Nihilominus tamen ita ferè vsus obtinuit, vt quæ adstrictione sua vel spiritus intra corpus cohibent, vel membrorum tonum seruant, præcipuè dicantur (licet minus propriè id fiat,) roborare & confirmare. Porrò non meum esse hoc figmentū aut somnium aliquod, minimè opus est vt pluribus ostendam. Quippe ratio valida in ipsa rei naturæ consideratione reperitur. Hic tātum Galeni auctoritatem

Roborantia propriè quæ sint.

vsitatè roborantia di-  
cta quæ sint



pro firmamento sententiæ nostræ adduxisse suffecerit. Is lib. de opt. secta contra Methodicos disputans, circa finem libri, aperte ait, adstringentia non roborare. Tādē in vltimo cap. quæ nam propriè robur & firmitatem corporibus nostris concilient, docet his verbis: At ignorant Methodici, quonam pacto hominis firmitatem ac robur dijudicare oporteat. Quocirca neque etiam eam præstare poterunt. Non enim vt in lapide, ferro, ac ligno, & id genus alijs, duritie ac mollitudine hominum firmitas æstimanda est: sed eo, quod corpora sua ipsorū munia expeditè obire valeant: Itaq; qui ipsius firmitatem comparare voluerit, minimè quî durū corpus reddatur cogitet, opus est: sed qua ratione vires membrorum augetur, & ipsa liberè atq; explicitè proprijs vsus exhibeant. Galeni verba hæc ideo adscripsi, ne cū vulgo Medicorum fallaris: & quoties debile membrum corroborandum est, adstringentia admoueas. Horum vsus est, quoties repellere ac repercutere humores volumus: aut laxata corpora densare: & ne facile humores aliunde influentes recipiant: & denique cū ne latentur præcauere studemus. Si aliter imbecillæ sint partes, tunc roborabuntur rectè, cū imbecillitatis causa ablata, partes in naturalem statum siue habitum transmutatæ fuerint.

*Adstringentiū vsus ad roborandū quis sit.*

*Responsio ad questionem quartam. Cap. LV.*

**E**X his & supra dictis elucet responsio ad quartam interrogationem tuam, an iuuantia & roborantia eadem sint cum deducentibus. Etenim nec iuuantia omnia, nec roborantia omnia, nec roborantia propriè dicta ad affectas partes deducunt semper, & per se. Quid per accidens fiat, explicatione hic non eget. Quæ tota substantia amica sunt vel maximè familiaria nutrimenta alicui parti, ea cum à partibus attrahuntur, vnà secum fortasse alia quoque

*Nec iuuantia omnia, nec roborantia ad affectas partes deducunt.*

quoq; ad eandem perducunt: propriè verò loquendo non deducunt, vt, quæ ne ipsa quidem sua sponte quæ eant, nisi quò trahuntur. Etenim viuientium est trahere, medicamentorũ est trahi: non sua sponte aliquas ad partes ire. Porrò tota substantia amica supra docui esse, quæ nutrimentum partibus certis accommodatũ præbere possunt. Quæ verò inimica sunt, illa sæpe ocysus & cõmodius multò deducunt, vt de cantharidibus ex Galeno supra declarauì. Ergo nec deducẽtia omnia vel iuuant vel roborant: nec iuuantia vel roborantia omnia deducunt medicamẽta admista ad vnã magis partem, quàm ad aliam quamuis. Quomodo cantharides ad vesicam potius, vt diuretica alia quoque, quàm alio festinare, aut potius à Natura huc propelli putem, satis verbosè expositum supra fuit.

*Responsio ad questionem quintam, de purgantibus: quæ in ventre manere, non ad affecta loca ire ostenditur. Cap. LVI.*

**D**E purgantibus medicamentis, illud duntaxat exponi tibi à me petis, an ex certis membris occulta facultate humores educat magis, quàm ex obuia qualibet parte: veluti ex capite tantum, ex pedibus & articulis solis, ex hepate, pectore, &c. Quod singula purgantia certos duntaxat humores educere ab omnibus absq; inquisitione creditur.

certum humorem electiuè (ita enim loquuntur) extrahant, pro confesso ponis, idque non imprudenter. Etenim perpauci hodie sunt, qui aliter existimẽt: aut quomodo, seu qua facultate id faciant, inquirendum arbitrentur. Egregiè suo se perfunctos munere censent, si ab occulta quadam potestate ad se tales humores atrahere assuerent. Proinde cum hic nihil requiras, facile hanc quæstionem præteribo in præsentia; ac breuiter tibi sic respondebo. Si verum est cantharides



*Purgantia  
magis va-  
cuat vnā,  
quā aliā  
partem; sed  
virtute no-  
ta.*

*Occulta vi  
purgantia  
non purgāt  
certas soliū  
partes.*

*Purgantia  
non perua-  
dūt ad mem-  
bra purgā-  
da: sed in  
ventre per-  
manentia  
purgant.*

solam exulcerare vesicam abdita quadam virtute, non videbitur à veritate alieni quippiam affirmare, qui ex purgantibus quædam, ex vna parte magis, quàm ex cæteris, humores simili potestate elicere dicat. Nullus arbitror, negabit vnquam, purgantia medicamenta magis vacuare vnā aliquam partem, quàm alias. At hoc non latente potestate, sed aperta & cognita faciūt. Nos de occulta solum tecum quærimus. Cæterum quia non ita rem habere de cantharidibus supra ostendi, aliter tibi respondere omnino cogor: ita nimirum vt sentio.

Puto autem purgantia ex omnibus similiter partibus educere, hoc est, nulla virtute latente determinari ad certam duntaxat partem. Primum quidem neminem video Aristotelis sententiā probasse in problemat. quo in loco videtur sensisse, medicamentum dissolui, & in totum corpus ad ea vsq; membra distribui, ex quibus attraxisse iudicetur. Equidem experientia rerum optima magistra huic opinioni refragatur. Sæpius enim que catapotia post purgationem integra planè adhuc reuomuntur: vt nulla ex parte imminuta videantur. Si quid ablatum putetur, tantum non est, quod ad remotiones à ventriculo partes extendi exporrigiue cum potestate aliqua trahendi potuerit: quantumuis in tenuissimum vaporem cōuersum dissolutumq; fingatur. Sunt etiam medicamenta, quæ propter lapidosam duritiem (inter quæ flos æris, aut ipsum æs vstum, vel eiusdem squama numerari poterit) superari à calore nostro hæcenus non possunt, vt concoquantur, distribuantur, aut in fumos vaporesq; soluantur. Talia sæpe cum deiectionibus excreta vidi: vt nullā in ipsis sensibilem mutationem factam crederes. Deinde non est quisquam, qui epoto medicamento non erosionem in ventriculo vicinisque ei intestinis percipiat: in alio loco nullo. Ex quo certè non leuis suspicio oritur, hoc aut his in locis ea harere, non aliò abire. Et si quando penetrant in corpus,

pus, aut nihil, aut parum certè strenuè purgant: quod in Rhabarbaro & Cassia euidenter obseruani. Vtrinam tunc profluere copiosiore, & pro medicamento natura tinctam, manifestè animaduerti. Frustra video multis probare velle, quod propter experientiam præstantissimi quique Medici asseruerunt. De Arabibus ut problem, nō exspectas, scio. Non enim nescis Auicennæ, Mesuæ, Serapioni & Auerroï placuisse, in ventre aut intestinis hærentia ad se humores attrahere. Hos superiorum ætatum Medici penè omnes secuti sunt: varias licet super hac re disceptationes instituerint. Galenum in eadem fuisse sententia non est difficile ostendere. Qua enim ratione alia excusabis, quod in 4. de tuenda sanit. cap. 7. præcipit, ut, quæ purgare volumus exactè non teramus, ne in corpus distribuatur? Author problem. quæ sub Alexan. Aphrod. nomine circumferuntur, non aliter sensit: ut, ex 30. problem. 2. lib. cognosci potest. Videtur sanè hic author Medicarum rerum non imperitus fuisse. Certum est, quæ dissoluntur, in corpus distribui, atque sic vrinā potius ciere, quam aluum ducere: sicut paulò antè monebam: & experiri quisque poterit. Ea de causa Galenus, ut iam dicebam, medicamentum, quod diospoliticum appellatur, crassius apparauit, quoties aluum purgare in animo haberet. Nam si exactius teratur, in corpus digeri, minimeque purgare, sed vtinas citare affirmat. Hac de causa Mesues quoque docuit, medicamenta purgantia laxa & rara non impensè & superstitiosè in puluerem esse redigenda: si purgare ipsa optemus. Quibus admonemur, quæ in venas traducantur, purgare similiter non posse. Facile venas traducuntur, quæ succum non omninò naturæ contrarium continent, nisi crassiuscula sint, ideoque in ventre necessariò diutius hæreant. Quare cum vel apud Galenum vel alios legimus (Nam author de renum affect.

Arabes in ventre purgantiam tenere censent.

Galen. & Aphrod. purgantia non putant per corpus digeri.

Quæ facilius & difficilius in venas traducantur.



*Natura ingrata statim abominatur.*

*Quidam odore purgantium turbantur.*

*Vrinas mouentia ferè succos vriales habent cõiunctos.*

*Cur dura mollioribus magis purgèt.*

codem modo loquitur,) purgantia in corpus differri liberiorius locutos existimare debemus. Ac Diospoliticum exactius tritum facile in corpus rapit: quia non est omni ex parte nobis inimicum. Quæ verò totis naturis ingrata & inimica nobis sunt, ea nec trita facile ab hepate attrahuntur: præsertim cum per se exhibentur. Sanè cum talia sumimus, toto plerumque corpore exhorrescimus & contremiscimus: ita abhorret ea natura, antequam probarit & senserit. Ac reperiuntur qui ab horum odore ingrato adeò commouentur, ut alius illis turbetur: & copiosè, non secus, quàm si pharmacum aliquod ebibissent, purgantur. Quinetiam esse nonnullos, qui ad horum atque aliorum quorundam medicamentorum mentionem solam nauseant, atque aliquando etiam vomitant, cunctis hominibus propemodum notum est. Quæ benignum succum admistum habent priusquam in ventriculo primum, deinde etiam in hepate mutationem acceperint non minimam suæ facultatis partem amittunt. Vnde vrinas potius promouent, quàm alium turbant. Videntur hinc prudentes Medici rectè iudicare, non multum excrementorum per ventrem descensurum, quoties post epotum pharmacum vrinæ copiosius fluunt. Hinc fortasse lapidosa & duriora quædam pharmaca, quæ in succum non facile conuerti possunt, strenuè semper corpus purgant: aut saltem validè ipsum exagitant: quæ verò molliora sunt, præsertim verò cum vtilem etiam succum, licet exiguum, continent, sæpè nihil purgant, leniterque corpus exagitant. Ergo si in ventriculo vel intestinis permanere ipsa, tum ratio tum experientia probat, non poterunt à partibus remotioribus trahere. Non enim fingi facile diciunt potest, qua ratione humores ad se ex pedibus, manibus, capite, pertrahant: præsertim cum per contactum actionem omnem fieri oportere plerique omnes iudicent. Sanè Galenus in postremo capite

pite librorum de potentijs naturalibus asserit, quæ convenientia qualitatib. trahant cominus duntaxat, nō eminus, trahere. Quare oportebit ipsa vsq; ad partem, in qua humores redundant, peruenire, aut non longè ab ea subsistere. Vtrunq; præterquam quod absurdè cogitur, manifestæ experientiæ aduersatur. Totū dissolui & per corpus dispergi medicamentum, nō affirmabit, qui modo purgari homines aliquoties vidit.

*Purgantium partem nullam in fumos verti, qui aduersus affectum locum progressi purgationem efficiant. Cap. LVII.*

QVod ab aliquibus de partis dissolutione & cōuersione in fumos dicitur, qui aliquo vsq; progressi virtutē suam, speciei cuiusdā multiplicatione longius videlicet ad affectū vsq; partem extendant, tam est ridiculum maleq; consutum, vt ne dissuere quidem conari debeat. Dissoluitur enim & corruiit sua sponte, cū explicatur solū. Attamē quia opere præciū videtur hanc rem rectè cognoscere, aliquid dicam. Quis nesciat particulā istam, quæ in fumū conuersa fingitur, nō purgare atra hereq; posse? Equidem si tertiā partē de medicamento quolibet exhibeas (eius scilicet quantitatis quæ cōmouere hominis ventrē possit,) nihil purgabit, etiā si totū in venas cū succis ei admittis pertrahat. Multò certè minus fumi isti, quos paucos omninò esse oportet, aliqd, quod animaduerti queat, efficiant. Iam dixi, (quod nemo non videre aliquando potuit) ita interdū medicamenta, præsertim duriora, per vomitū reijci, aut etiam cum excrementis excerni, vt ne decima quidem pars decessisse perspiciatur. Cæterum vt hæc res excutiat, melius ponamus iam partem medicamenti aliquā dissolui; & cum ex pedibus humor educendus sit, ad

*Purgantia non multiplicant speciem sui ad partē purgandā vsq;.*

*Fumi de parte phar maci eleuati non possunt corpus cōmouere.*



genua vsq; procedere. (Ratio prorsus eadem erit, siue propius accedere, siue longius ab eo loco subsistere putet.) Quo pacto vitiosis humoribus onusti fumi isti ad intestina retrocedent? Certè nisi aut sponte sua redire eò, vnde discesserāt, aut ab alio quodā retropelli ipsos cogitemus, falsa erit imaginatio. Atqui non vltro redibunt ad ventriculum siue intestina: nisi rationem eis tribuamus, qua, quousq; progrediendum, quo & quando remigrandū sit, intelligāt. Hoc si ea pars habet, quæ progressa est, mirum videatur, si non in toto medicamento ratio & intelligentia insit. Deinde quærendum hic etiā est, quomodo illò vsq; processerit illa pars medicamenti, spontè ne, an ablegata fuerit à toto? an potius ab affecta parte sit attracta? Quod non sua sponte descenderit ad affecti pedis genu, facile videt, qui rationem dari nō posse intelligit, cur pars aliqua nō potius, quàm totū eò processerit. Si ideo factum imaginemur, quia pars tantum solui in halitum potuerit, rursus percunctabimur, cur non in sanū pedem potius descenderit, quàm in agrū, altero videlicet pede solo laborante? vix dicere audebit aliquis, in vtrumq; ex æquo descendisse: at ex altero tantum extraxisse; quia in altero vt diuinerit. Nō enim tanta est horū fumorū copia vt diuisi virtutē suā seruare queāt. Quod melius intelliges, si in vtrumq; brachium dispertitos etiā cogites. Supra quoq; monui, medicamentorū esse trahi, nō sua sponte aliquò procedere: nisi quatenus vel leuitate sursum, vel pondere suo deorsum feruntur. Si attractos ab humore respondeat aliquis, Medicis omnibus contradicet: qui medicamentum fortius esse affirmant humore; ideoq; hunc trahi, non autem trahere posse. Sed nec à membro quidem attrahi fumi isti potuerunt. Primum, quia æquè ab vtroq; pede attrahentur: & validius ab eo, qui robustior est. Deinde causa erit reddenda, quomodo

*Purgantiū  
fumi à mē-  
bris purgā-  
dis non re-  
grediuntur  
sponte.*

*Purgantia  
nō eunt sua  
sponte ad  
affectos lo-  
cos.*

*Purgantia  
non trahun-  
tur ab hu-  
morib. aut  
membris.*

modo fumos istos pes à ventriculo vsq; ad genua attrahere potuerit, propius ad se protrahere non valuerit. Certum est, facilius aliquid ex propinquo, quàm ex longinquo attrahi. Adde quod hoc etiam certum est, partes nullas medicamenta purgantia attrahere: sed potius repellere, utpote ipsis inimica, noxia, & perniciofa. Quod pars non sit à toto ablegata, per se notum est. Nō enim apparet causa, propter quam ablegari debuerit. Ac est rebus naturalibus insitum, ut vniri & coniungi potius velint, quàm separari & disiungi. Nihil certè se ipsum per se diuidit ac seiūgit. Et si aliud quippiam partē quamuis diuiderit, idem illud ne coniungatur iterum facilius multò efficiet. Minore multò labore, quæ natura vnita sunt, ac deinde separata, seruari separata possunt, quàm separari potuerunt. Neq; partes inter pedes & ventriculum interiectas, ad pedes detrusisse facilè dixeris. Si namq; molesti ipsis fuerunt, ideoque in vicinas partes protruserunt, ut ab ipsis liberarentur, ad vrinæ vias potius depulissent, quàm ad pedes. Quod tantò est probabilius, quantò renibus viciniore fuisse oportet: antequam vel ad vtrunq; vel ad alterum pedem peruenissent. Nam ex ventriculo ad hepar: ex hoc in venā cauiam: per hanc ad emulgentes transire ea oportet. Has vbi transferunt, ad pedes delabuntur per cauiam venam diuisam, inq; vtrunq; pedē distributam. At verò si pedem non ad genu tantū, sed ad se vsq; attraxisse fumos istos cogites, sciscitabor nō immeritò, quomodo ex eo, vbi se humoribus onerauerunt, abire queant, Etenim membra familiaria non attrahunt modò, sed attracta etiam retinent: ut videmus Magnetem ferrum non attrahere solum, sed etiam retinere. Profectò nihil trahit propter ipsum trahere, ut rectè Galenus ait: sed ut retineat: non statim à se dimittat. Et videtur facilius esse attractū retinere, quàm, quod abest, attrahere: præsertim

*Res natura  
les vniri po  
tius quā dis  
iungi cupi  
unt.*

*Vapores  
purgantium  
ex affecto  
loco retro  
cedere non  
possunt.*



*Retentio est  
tractio.  
nis continua-  
tio.*

*Vapores  
purgantium  
non pellun-  
tur ab affe-  
ctis partib.  
aut eius hu-  
moribus.*

*Nec retra-  
hantur.*

*Sed nec re-  
pelluntur.*

quod procul situm est. Intelligi de naturaliter trahen-  
tibus & tractis debet, quod dicimus. In cæteris enim se-  
pe se trahi patitur, qui se retineri non patitur. Nec vi-  
detur retentio aliud esse, quàm tractionis continuatio.  
Quod quidem dum distaret, attrahebatur: idem illud  
cum propius accedere nequit, eadem illa potestate de-  
tinetur. Ergo si attrahere ex ventriculo per fumos po-  
tuit, facilius multò retinere attractos potuit. Non enim  
dicet quisquam medicamentum & ire & redire cum li-  
bet: tractumq; esse cum vellet: retineri quoque diutius  
non posse, quia retineri amplius nolit. Non enim ratio-  
ne præditum est. Proinde ut sua sponte non rectè eò abire  
se dicentur, ita nec redire dici poterunt. Ab alio igitur  
quoque retrahuntur, aut certè ex affecto loco pellun-  
tur. Non à parte pelluntur, quia familiaris ponebatur  
ei fumus iste esse. Aliàs non fuisset ex ventriculo attra-  
ctus. Non ab humore vitioso in ea contento. Quoniam  
is trahitur, nò trahit aut pellit: pollendoq; sequitur ho-  
stem aut amicū. Non ab alia quavis parte. Omnes enim  
odio habent: & accedentes ad se omnibus modis arce-  
re studēt. Nec spontè sua redire ipsos humores onustos  
docui. Nec retrahi eos constat. Non ab aliqua parte,  
per quam antè transierant. Retinuisset enim eos antea,  
quàm ad pedes peruenissent, si grati ipsi fuissent. Nec à  
medicamento in ventriculo intestinisq; relicto. Non  
enim fuisset abire, si ad se reuocare voluisset, nisi instar  
legatorum seu ministrorum amàdatos putemus. Certè  
sicut pars aquæ in vaporem ignis vi conuersa nò retra-  
hitur à reliqua aqua, ita pars medicamenti àctione ca-  
loris naturalis in fumum soluta, non repetitur ab inte-  
gra. His adde, quod Gal. affirmat, idem nò trahere idem  
sed simile. At fumi isti, qui è pharmaco exhalauerunt  
eiusdem sunt cum toto pharmaco naturæ & substan-  
tiæ. Quid igitur hos fumos retro pellet? partis affectæ  
naturæ?

natura? Quærenda est ratio. Respondebis in causa esse, quòd molestiam exhibeant? Scio: aliud respondere nõ potes. Atqui eandem exhibebant cū accederent: ac fortasse maiorem. Deinde cum trahere primū inciperent, cur non tum pellebantur? Cur expectatum est donec se instar asini onerassent? Cur nõ accessum potius prohibuit? aut cum mordere primum incepere, statim expulit? Adde quod retrocedentes isti fumi cum attractorum humorum sarcina siue copia, arcebuntur à partibus intermedijs. Non enim facilè ad se patientur accedere, sed ad ægram partem repellent. Etenim in omni morbo ita euenire videmus, vt noxia omnia ex omnibus alijs partibus transmittantur ad ægras partes. Præcipuè autem partes propinquæ, quicquid habent superuacanei, id deponunt in partem infirmam. Nec noxijs eam humoribus solum replent, verum etiã vtilibus, sanguine & spiritu: quasi opitulaturæ accurrentes: vt à Galeno expõsitum nouimus. Quare quantò medicamentum purgans aut fumi ab eo profecti magis affectam partem exagitabunt, tantò minus vicinæ partes ad se admittent humores inde abeuntes: & ad ventriculum regredientes. Pars ægra etiam facilius repulso propter imbecillitatem recipiet, quàm sanæ admittat: quibus vis expultrix minimè ignaua est. Quòd si retractationis fumorum & expulsionis pariter ex affecta parte vnà cum vitiosis humorib. causam ponas mordicationem, (quã medicamentum in ventriculo & intestinis derelictum primis venis inferat) non opus erit ista fumorum dimissione. Deinde non purgabunt medicamenta certas partes, quia cum ipsis ignota quadam virtute cõueniant, (aut dissentiant, vt alij quidam voluerunt,) sed quia venarum principia vellicant: ac virtutem expultricem hoc modo suscitant.

*Partes vicinæ affectæ parti non admittunt medicamentum vitiosis humoribus onusta versus ventriculum redeuntia.*



De nimia purgatione, quam ὑπερκάθαρσιν Greci  
vocant. Cap. LVIII.

Verisimile  
est ita fieri  
purgatio-  
nes, quomo-  
do fiunt ni-  
mia purga-  
tiones.

**S** hoc loco perpendere volumus, quæ Galenus de su-  
perpurgationibus scripsit, haud inficiabimur omni-  
nò plurima purgare absque illa amicitia familiaritatis  
sive necessitudine incognita: quia scilicet venarum  
principia acrimonia sua vellicare nimis queant. Valde  
probabile est, ita fieri purgationes, vt superpurgationes  
fiunt. Harum Galenus non vnam causam adferit. licet in  
vnam mordicationem non malè omnia præcipuè refe-  
rantur. Quod de apertis vasis dicit, in homine viuo non  
habet magnum momentum ad præsentem causam.  
Semper enim istæ venæ ita sunt reclusæ, vt humores  
prorsum retrorsumque ferri, & quidem crassos admo-  
dum existentes, certum sit, siue trahantur, siue pellan-  
tur. Nec imbecillitas quoque earum, causa est alicuius  
momenti. Non enim vacuantur humores, quia non re-  
tinentur in superpurgationibus: sed quia vis medica-  
menti nò desinit irritare. Præterea vacuarentur ob hæc  
causam illa duntaxat, quæ in loco debilitato continen-  
tur. His expulsis, nihil exiret amplius. Cæterùm ex vni-  
uerso corpore, quo debilitas non facile potuit exporri-  
gi, vacuantur primum noxia: cùm facultas expultrix ex-  
citata est. Si non cesset irritatio his vacuatis, succedunt  
etiam mox vtilia. Sanè vt debilitas vasorum, quæ ad in-  
testina pertinent, & eorundem reclusio, ad rem aliquam  
faciant, vt facere non nego, præcipua tamen causa est,  
vel ipso Galeno teste, medicamenti acrimonia,  
vasorum principia vehementius  
mordicans, & veluti  
crodens.

Causa præ-  
cipua nimi-  
arum pur-  
gationum.

plurima

*Plurima purgare erosione & mordicatione sola.*

Cap. LIX.

**A**Cesse talia plurima, quæ erosione & mordicatione tantum purgent, vix quisquam arbitror, negabit. Etenim pulvis Diospolitici medicamenti crassiusculus, piper, hyssopus, radix pyrethri, capita Thymi, Pulegium, Euphorbium, & alia huius generis propè infinita, non secus purgant. Argumento vel hoc sit, quod nisi in magna copia, (præter Euphorbium, cuius caliditas omninò acerrima est,) exhibeantur, aut non mouent omninò, aut leuissimè. Oportet enim copiosè sumi, vt vincti à facultate non facilè possint concoquente: aut ventriculum cum intestinis valdè sensibilem esse: aut certè non benè contusa exhiberi, vt tardè propter crassitudinem penetrent. Hoc aut simili penè modo, cibi omnigenis, qui aut qualitate molesti fiunt, aut quantitate sola offendunt, interdum felicissimè purgarunt, humoresq; infernè & supernè eduxerunt. Vidi ego hoc pacto quosdam à quartana subitò liberatos, humore putrido omni expulso. Cui rei fidem facit inprimis naturalis alui subductio. Etenim destinavit natura huic muneri flauam bilem, inq; intestina vacuari ideo voluit, vt acrimonia sua excitaret ipsa ad expulsionem excrementorum. Non enim deterget solummodo fæces intestinis ac ventriculo adhærentes, verum etiam irritat eadem: & propellere vitiosos humores quasi cogit. Argumento est, quod regio morbo laborantes ex obstructione meatus vesicæ bilis, per quem in intestina eam euacuat, tardius multò, quam antè, excrementa deſciūt. Quinimò aluus plerisq; multum adstringitur. In causâ est, quod bilis intestina non vellat: & ad opus suum peragendum non excitat. Inducant excrementa alba nullaq; flaua bile permista, ita rem habere. Indicat non minus.

*Quæ stimulo purgènt.*

*Quomodo cibi aliquando purgèt.*

*Naturalis alui excretio fit à bile stimulante intestina.*

*Cur icterici aluos duriores habeant.*



certè curario. Cum primum namq; bilis rursus in intena effunditur, procedunt excrementa sicut antea: nullumq; amplius percipitur impedimentum. Hinc nemo non intelligit, cur in dysenteria tam crebræ fiant egestiones: tametsi in ima ventris intestinorumq; parte mordicatio fiat. Plus mouent, quæ superiores partes mordent, venarumq; principia vellicant. Ratio eadem aut certè non multum dissimilis est in teneismo. Hinc etiam est, quod multi à placentis piperis copioso conditis, (quas ad diem natalitium Christi vendere, & pro bellarijs toto anno post cœnam apponere conuiuis solent) purgantur commodè cum à cœna sumunt. Antè cœnam si sumant, cum esuriunt adhuc, nihil commodi inde percipiunt. Causam huius rei peruestiganti, nulla occurrit alia, quàm quòd hepar egens, validè ad se talia cum humoribus permixta attrahit: vnde acrimonia eorum obtunditur: ac secreta mox per vrinam acia expelluntur. At vbi in succum tam citò vertere nequit, nec rosionem ferre quoq; valet, per intestina depellere studet vnà cum noxijs humoribus, qui circa illa loca collecti sunt. Nam expultrix facultas, quoties ad agendum vehementius incitata est, nò illud modo abijcit, quod molestiam peperit, sed quicquid inuicibile ei occurrit, simul exturbare consuevit. Quod facilius facit, vbi hepar quantum vult succi familiaris attraxit: & quæ mordicant penè sola in intestinis relicta sunt. In ventriculo, dum copioso humori permixta continebantur, mordere non tam facilè poterant: vt postea, cum sinceriora facta sunt. Hoc ferè modo illa quoque purgant, quæ umbilico imponi solent. Talia namq; calida, tenuia, mordacia cum sint, facilè virtutem expultricem intestinorum & partium vicinarum ex pulsiõnem. Quæ causa est, cur certos quosdam homines purgent, quæcunque dolorem in ventre pariunt.

*Cur quidam à piperatis cibis purgantur.*

*Expultrix excitata sepe vehementius agit, quàm pro excitationis modo.*

*Quomodo umbilico imposita purgent.*

riunt. Noui non vnum tantum, quos vina acerbiora, quæ vim sistendi & cohibendi habent minimè leuem, valenter purgant, adeoq; magis quàm medicamenta. Sed nunquam sine magno dolore præcedente, & multorum flatuum excitatione id efficiunt. Neq; vina hæc solum, sed etiã alia, quæcunq; flatus generant multos, vt sunt factitia quædam & cibi quoq; horum procreatrices aliquibus similiter aluum turbant. Ex quo perspicuè intelligitur, per irritationem uirtutis expultricis talia vniuersa aluū mouere. Sic qui diarrhœis corripiuntur, aut aliàs spontè sua vacuantur, purgari videntur etiam. Hic enim quoq; virtus expultrix ab infestantis humoris vel copia vel qualitate cõcitata, noxia expellit. discrimen ergo illud solummodo inter hos modos est, quod in priore virtus ab externa, in posteriore ab interna causa excitatur. At perinde excitatur, ac si pharmaco purgante excitata fuisset. Nec minus iuuantur, qui sic purgantur, quàm si aliud quoduis medicamentū ebibissent: quacūq; in parte morbū sentiant. Dico quod certa experientia verum esse cognoui. Haud aliter sensit Galenus in libro de opt. secta. Siquidem cap. 40. cum probare instituisset tempora nõ indicare: quoniã vsus remediorū interdum prohibentium propositū illustrat simul & cõprobat. Deinde Aphor. Hipp. 29. sectio nis 2. Inchoantibus morbis si quid mouendū videtur, & obiecturis, sic respondet. Hippocratē nõ ratione tēporis id percepisse, sed ppter vires, quæ inter initia morborū adhuc consent, vacationemq; tolerēt, in vigore aut minimè ferant: propterea quod sine noxa talia medicamenta nunquã adhibeant. Post hæc ita scribit: Etenim remedia primū quidem, quia omnia præter naturam sunt, necessariò & facultatem adhibita vexant. Secundo, cum naturalia seu familiaria morbificis causis

Vētris dolore con  
citātia quo  
modo non  
nullos pur  
gent.

Diarrhœa  
laborantes  
quomodo  
purgentur.

Galenus  
purgatio  
nes fieri af  
firmat per  
expultricis  
irritatio  
nem.



» permista sint, in causarum ablatione non minor bono-  
 » rum quàm vitiosorum vacuatio fit. Primum autem nõ  
 » oportet ignorare naturam auxiliorum, & vsum quem  
 » hæc præbent. Ipsa namq; per se medicamenta non pos-  
 » sunt causas extirpare, sed indigent naturæ adminiculo:  
 » & fermè solum impetum & principium motus naturæ  
 » iniñciunt: reliqua autem per se natura perficit. Et cæte-  
 » ra, quæ sequuntur vsq; ad finem 41. capituli. Ex his Gale-  
 » ni verbis non est difficile videre, eum de purgantibus  
 » præcipuè medicamentis loqui. Deinde apparet illud  
 » etiam, non mittere ea fumos, de se ad remotiores à ven-  
 » triculo partes, quorum præsidio & opera humores istic  
 » hærentes ad ventrem pertrahant vel alliciant. καὶ οὐκ  
 » δὲν μόνον τὴν ἀφορμὴν καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς φύσεως ἐν δὲ δόσει, τὰς  
 » λοιπὰς δὲ φύσεις δὲ ἑαυτῶν ἐκτελεῖ. Solam propè occasionem  
 » adferre, & excitare naturam iudicat ad expulsionem  
 » xiorum, quæ ipsa hoc modo irritata per se deinde extur-  
 » bet ex corpore, cùm est valida satis. Quocirca possunt  
 » eam ad excretionem incitare, quæcunq; in primis ve-  
 » nis diutius consistunt: & acrimonia sua harum oscula  
 » vellicant: nec intra venas recepta & humoribus alijs  
 » permista mox ciborum more distribuuntur.

*Historia quorundam, quibus solo odore purgan-  
 tium aluus turbatur. Cap. LX.*

*Quaratio-  
 ne aliqui so-  
 lo odore  
 purgantium  
 purgentur.*
**C**um his consonat experientia: quæ docet inueniri  
 aliquos, qui solo purgantium odore commouen-  
 tur & purgantur. Scripsit Guainerius, (si non me fal-  
 lit memoria, iam diu enim non legi:) Ducis Sabaudia  
 Medicum quendam catapotia ex Pharmacopolio in  
 manibus domum gestauisse, & ab illis nihilominus stre-  
 nuè perpurgatum fuisse, quàm si deglutiuisset. Quin  
 testatum compertumq; est etiam idioris, nonnullos ad  
 certo.

certorum medicamentorum (aut etiam ciborū, quos fastidiunt,) vel odorem vel conspectū (Apud ægros frequenter hoc fieri nemo nescit) vel mentionē solam ita permoueri, vt nauseent atq; etiam vomant interdum, aliquando etiam per inferiora purgantur: prout expultrix ventriculi vis sursum aut deorsum incitata est. Etenim non aliter nec aliam ob causam ista euenire certū est. Quoniā ab odore talium, dum ita cōmouentur, vt exhorreāt, faciliē tunc irritatur facultas expultrix vt exsurgat, & quæ noxia in corpore sunt expellat. Quod si nō semper id fit, in causa est, quod nō similiter multi humores vitiosi in corpore collecti sunt. Quippe ne hausta quidē medicamenta eodem semper modo corpus mouent. Quocirca non est mirū hoc illi Medico semel accidisse: quantūuis puretur huiusmodi medicamenta persæpe antea sine perturbatione ventris odorauisse. Non possum hoc loco non cōmemorare, quod amicus meus summus & collega chariss. vir in omni doctrina præstāti felicissimè versatus, D. Sigismūdu Melanthon mihi narrauit de honestissima fœmina mihi nō ignota, affinitate ipsi iuncta. Hanc ita permoueri purgantium medicamentorū odore solo asseuerat, vt, si proximè pharmacopoliū transeat, odoremq; taliū percipiat, pulchrè purgetur: & quidē magis quàm vellet: medicamenta in suis ædibus talia minimè eam ferre posse ait. Sanè non est mirū, odorem virosū istum pharmacorū eos, qui ab his tota natura abhorrent, ita percellere, vt toti concutiant: & facultas expultrix excitata faciliē aluum turbet. Interim verò, cū hæc dico, non illud sentio, quæcunq; purgāt, hac ratione solum purgare, quia acrimonia sua primarum venarum ora stimulent ac mordicēt. Scio enim alia quoq; quædam purgare per occultam proprietatem: non primi quidem generis (tale etenim nullum vidi, quod meminerim) sed secundi: quæ exigu-

D. Sigismū-  
dus Melan-  
thon.

Non omnia  
purgantia  
sola acrimo-  
nia purgāt.



*Nulla Phar  
maco virtu  
te occulta  
peculiari-  
ter caput,  
pedes, pe-  
ctus, &c.  
purgant.*

*Purgantia  
propriè di-  
cta totum  
corpus va-  
cuant.*

*Quod abdi-  
ca potesta-  
te pituitam  
trahit, non  
solam capi-  
tis, sed ob-  
uiam quam  
libet detra-  
hit.*

calore, (nullo dicam,) nullaq; perceptibili acrimonia prædita plerunq; sunt. Sed hoc dico, non potuisse me hæcenus videre, quo pacto ex propriè purgantibus alia caput, alia pedes, alia alias partes magis purgent potentia incognita, (Nam per notas qualitates hoc etiam aliqua facere, nihil omninò dubito) quàm ventriculū, intestina, & partes hepatis vicinas: ad quas solas perueniunt. Sanè Galenus in eadem prorsus fuit sententia, vt ex cap. 13. lib. 3. de poten. nat. cognoscere vnusquisq; potest. Haud scio an planius aliquid dici in hanc sententiam queat, ita perspicuè quomodo remotiores partes vacuentur à purgante medicamento, exponit in eo, quem modo citabam loco. Confirmat sententiam nostram, quod veteres pariter ac recentes Medici magno consensu affirmarunt, purgantia sic propriè nominata, totum vacuare corpus: quodq; ab illis, quæ partem aliquam præcipuè purgant, distinxerunt. Certum est ex supradictis, atq; ex optimorū authorum consensu, medicamenta in ventriculo & intestinis consistentia humores extra corpus expurgare. Quare fateri oportet, medicamentū, quod pituitā, exempli gratia, detrahatur, aut obuiam quamlibet ad se pituitam attrahere, (vt quæ circa hepar, in mesenterio, & caua vena existit,) vel eam solā, quæ in affecta parte, vt capite, accernata fuit. Hoc dici nequit. Quomodo enim probabitur Nam non pituitā, sed pituitam in capite collectā tunc trahere solum posset. At sæpè non differt natura & specie pituita, quæ in capite continetur, ab ea, quæ in aliis partibus in hæsit. Deinde medicamenta pituitā purgare valentia, oporteret multa nos habere, singulis scilicet partibus sua: quod absurdū foret: similis ratio est de purgantibus humores alios quoslibet. Postremò patet, cum tumoris pituitosi alicuius causa medicamentū pituitā detrahēs exhibuimus, nō statim à purgatione tumoris

PROPRIETATIB. MEDIC. *iii*

morem subsidere, sed post multos sæpè, aut duos, tres, plurè sue dies. Ex quo conijcimus, non ex affecto loco, sed ex locis circa hepar expurgatã illam fuisse, quæ excreta fuerat. In huius locū humorem vitiosum aliū natura versus intestina reposuit: vt nonnunquam etiam ex affecto loco in propinquas partes aliquid deriuarit. Hoc modo sæpè mittimus sanguinē, nec tamen ex affecto loco vacuamus: quod in locū emissi sanguinis, aliū à natura deriuari constet: ac sic affecto loco præsidium quæri & inueniri. Nec in sanguinis missione sola, locū hoc habet. Certè Galenus in purgatione idē fieri, exemplo humorū, qui ad cutem collecti sunt, docet. Scabie laborātes hac de causa sæpius, interposito duorū triumue dierum spacio purgamus: vt interea humores in venas regressi vacuentur commodius. Quanto successu id fiat, nemo exercitatus in arte Medicus nescit. Si Galeni sententiam cognoscere cupis, in lib. de potent. natural. tertio cap. 13. & in 4. de tuenda sanit. cap. penult. perspicuè satis expositam reperies.

*Purgantia  
quomodo  
inueniuntur,  
etc.*

*Perperam purgantibus misceri ad affectam partem ea  
deducuntur. Cap. LXI.*

Quam ob causam non immeritò fortasse miretur aliquis Medicos quosdã, qui purgantibus misceri iubent alia quædam, quæ ipsa ad affectū locum perducant. Quod nõ eò penetrent, sed in ventre & in illa vicinia tantisper permaneāt, dum vnà cum noxio humore vacuentur, certius est, quàm vt addubitare amplius vel debeas, vel possis. Nunquid frustra comites itineris adhibemus, cum illud nõ sint ingressura? Nec excusari poterit, si non ipsa, sed virtutē seu qualitatem eorum occultam illò perducere oportere obijciatur. Nam quomodo illa sine suo proprio subiecto quoquã duci queat,

*Frustra mi  
scuntur pur  
gationibus  
deducētia.*



Galenus nō  
miscet pur-  
gantibus de  
ancientia.

non potest animo quisquam comprehendere: ne dum  
verbis eloqui. Deinde quomodo incorporea virtus à  
corpore alieno, cui nō insidet, deportabitur in certum  
aliquem locum? Equidem Hippocrates atq; Galenus  
imperarūt, vt purgantibus odorata admisceamus, qui-  
bus os ventriculi aliāq; partes corroborentur: vt sic à  
purgantibus minus offendantur. Præceptū de admittio-  
ne eorum, quæ ad certas partes deducāt, apud Mesuem  
quidem legi: apud Galenum me legere hoc sensu hic  
possum meminisse: de purgantibus medicamentis hic  
tantum loquor. Non enim ignoro vrinam cientibus &  
alijs huiuscemodi remedijs ea admisceri debere, per  
quæ ocys & commodius ad destinatum locum perdu-  
cantur. At purgantia ostensum iam est circa ventriculū  
hærerè, non ad affectum vsq; locum excurrere. Sed fru-  
stra hic tempus tero, cum abundè demonstratum sit,  
medicamenta purgantia pituitam, bilem, purgare non  
eam solam, quæ in vna parte quapiam continetur, sed  
omnem illam, quam attingere valent.

Quomodo purgantia, si non abeunt ad partes  
agrotantes, eas iuuent?

Cap. LXII.

Natura par-  
tis dolentis  
causam se-  
pe ex se in  
altam ston-  
tè: trāfert.

QVo pacto ergo, percunctaberis fortè hoc loco,  
medicamenta agrotantibus partibus profunt?  
Exposui hanc rem paulò antè apertè satis. Non grauatè  
tamen pluribus declarabo. Intelliges autè perfacilè, si at-  
tentè obserues, quō nonnunquā natura certas partes,  
corpore per nullū medicamentū moto, doloribus libe-  
ret. Vsuuenit frequenter admodū, vt pars aut membrū  
aliquod corporis, ppter influxū materiæ vehemētis do-  
lore affligat. Ab hoc facultas expultrix excitata & cōmo-  
ta, humorē q̄ doloris causa erat, præter & cōtra cū agri-  
tum

tum Medici expectationem ex affecto loco exturbat:  
 & in oppositum membrum, (qui ferè motus Naturæ fa-  
 miliaris est.) vel in aliud quoduis transfert. Quod cum  
 fit, non dubium est, quin ita præter ipsius propositum, vt  
 sic dicam, fiat: ideo scilicet, quia non potuerit plenè re-  
 gere peccantem humorem: & quo debebat, deponere.  
 Nã si absolute humori dominaretur, & quo vellet pro-  
 pellere posset, non ex vno membro in aliud traduceret,  
 sed extra corpus eijceret. Iam verò dum vni parti consu-  
 lere tentat, aliam in discrimen, licet inuita id faciat, ad-  
 ducit. Attamen prior pars dolore omninò, siquidẽ om-  
 nem poruit humorem expellere, aut maxima ex parte  
 liberata persentitur. Plerunq; in isto casu accidit, vt ali-  
 qua humoris pars penitus se in musculos insinuet, ac  
 sub membranas altius occultet, quàm vt cum cæteris,  
 qui leuius impacti adhuc erant, eijci à virtute possint.  
 Hoc tempore affectum membrum dolore non omni-  
 nò quidẽ, ferè tamen liberatur. Tam frequens est hæc  
 naturæ actio in dolorib. circa articulos, vt vulgus apud  
 nos morbum, in quo tam sæpe materia de vno in aliud  
 membrum decurrit, mobilem siue discurrentem arthri-  
 tim, (quanquam parum rectè) appellitet. Dum ita mobi-  
 lis est humor, certum est, ipsum sæpe pharmaco exhibi-  
 to sic vacuari, quomodo, dum in acutis morbis turgēt,  
 per initia morborum à medicamentis expelluntur. Ir-  
 ritato namq; corpore à pharmaco, facultas expultrix in  
 remotioribus etiam partibus, vbi à vitiosis humoribus  
 iam ante premebatur, commouetur: & sic humorem  
 expulsionioni paratum, ad eum vsque locum propellit, ad  
 quẽ incitatrix pharmaci vis pertingere potest. Sanè dũ  
 in motu natura est, ac materiam siue causam doloris ex  
 aliquo membro depellere conatur, si quid intestina &  
 vasorũ initia vehementius vellicet, facilè eò inclinatur.  
 & quam aliò fortè depullura fuerat, propter meatuum

*Natura hu-  
 morib. ma-  
 lis imperas  
 extra cor-  
 pus eos eij-  
 cit.*

*Arthritis:  
 mobilis si-  
 ue discur-  
 rens.*



*Humor de membro vno in aliud decurrens facile plerunq; intra venas continetur.*

*Quaratione materia morbi ex aegris partibus à pharmaco vacuetur.*

*Vomitum totum corpus purgat.*

cōmoditatem, ad intestina protruserit. Hæc causa erit est, cur in turgente materia, non etiam expectata concoctione seu euictione, purgare liceat. Perferò in hoc loco, qui ita mobilis est humor, extra venas omnis egredi mihi visus est, sed intra ipsas plerunq; adhuc magna ipsius pars continetur. Argumento est, quod tunc exiguus ferè in affectis partibus tumore, aut nullus apparet: cutisque color sæpe minimè mutatus: nonnunquam leuiter solum rubere videtur. Deinde illud etiã, quod non ita facilè regredi in venas possit, ac per eas aliò deferri. Veruntamen non nego cum Galeno, quin aliquando, qui ex venis humor exierat, in eandem rursus ingrediatur: & per eas à circumferentia ad centrum & intestina perferatur. Etenim cùm nuper admodum effluxit, nec dum impactus est, non tantum per medicamenta retrahi potest, verum etiam sua sponte sæpe retrocedit. Atque in presenti morbo, tumores membrorum ex humorum translatione breui temporis spacio cuanuisse, nō sine admiratione aliquoties conspicimus. Cæterùm qui impactus iam est, non tam facilè, nec nisi summo naturæ impulsu conatūe, (vt in crisi- bus contingit) ex affecta parte pellitur. Hoc pacto stimulata natura à pharmaco purgante, nonnunquam humores ex affecto membro ad intestina deponit: quantum ad illud vis pharmaci extendi non potuerit. Quod si non statim facit, attamen postea paulatim humores aegrotante parte materiam in locum vacuatorum reponit. Si namque tunc, cum purgatum corpus non est, sæpe ex membro, in quod confluxerant, discedere cogit, facilius hoc ipsum irritata faciat. Nullus in arte nostra cum iudicio versatus & exercitatus ignorare potest, quin totum sæpenumero corpus per vomitum purgetur. Equidem antiqui non infrequentius ferè vomitorijs medicamētis quàm per inferna purgantibus vsi sunt.

sunt: etiam si morbus in extrema aliqua corporis parte  
 cōstitisset. Nec minus hoc modo illi profuerunt, quàm  
 καθαρητικῶν nos proficiamus. Attamen nec vomito-  
 rium medicamentum ad membra illa vsque ire est ne-  
 cesse. Sed natura noxam in ventriculo percipiens, eò  
 protrudit excremēta, vt quotidie cernimus. Similis est  
 in purgantibus quoque ratio. Atque hęc vna causa est,  
 cur medicamenta purgantia propinemus illis, qui par-  
 tem aliquam ægram habent, propter materiæ alicuius  
 in ipsam decubitum. Siue enim statim inde pellatur, si-  
 ue post in vacuatorum locum succedat, non refert. Par-  
 ti laboranti semper, si non per se, per accidens saltem  
 prodest. Altera est, cùm non quidem ex affecto loco e-  
 ducere aliquid studemus, sed ne quid ex reliquo corpo-  
 re ad eundem confluat, cauere volumus.

Purgamus  
 nōnunquā  
 vt reuella-  
 mus humo-  
 res: aut ne  
 ad locum  
 ægrum con-  
 fluant.

*Epilogus eorum, qua de purgantibus disputata  
 sunt. Cap. LXIII.*

ERgo vt tandē finem faciam, sic sentio: medicamen-  
 ta purgantia, ( quibus hactenus vtimur, & quæ co-  
 gnoscimus hodie ) in ventriculo & intestinis hæ-  
 rentia promiscuè ex omnibus corporis partibus expur-  
 gare, quod pro sua natura educere singula possunt. Si  
 tantum humoris, quantum ducere queant, circa hepar,  
 ventrem, intestina, mesenterium inueniatur, non vel ex  
 capite vel pedibus expurgare ea potius existimo, quàm  
 ex his ipsis partibus, in quibus humorem aptum repe-  
 rient. Impossibile namq; est, agens naturale, in præsens  
 obiectum, quod ab agente pati queat, non pro totis vi-  
 ribus suis agere: vt non modo vniuersa ratio & Philo-  
 sophia, sed etiam Galenus de nat. facult. 3. cap. 7. testi-  
 ficantur. Quomodo uerò vel ex his locis exturbasse hu-  
 morem vitiosum, remotis quoque partibus prodeste

Purgantia  
 nō ex certis  
 membris so-  
 lum educūt  
 noxia.



Podagrica  
purgantia  
qualia esse  
putandum.

queat, expositum verbosè satis fuit. Certum est aut bonos aut malos, in locum, ex quo vacuati alijs sunt, reponi: præsertim si ea quantitate vacuati sint, vt vacuū redere spatium aliquod videri possint. Vtrum horū fiat, perueniet tandem motus iste ad membra etiā longius diffusa: in non plenis corporibus temporius, in plenis tardius, siue post plures vacuationes. Quare quæ aliquibus ex articulis singulariter euacuare humores certos putantur, vnde vulgò, deprauatè tamen, arthetica appellantur, illa ego humoris illius expurgandi vim habere existimo, qui plerunq; in articulos decumbere solet. Ratio similis est pharmacorum capitalium vocatorū (de purgantibus semper loquor) & cæterorum omnium rationalium. Si quis aliter sentit, is me non minus æquum propterea amicumque habebit. Quinimò si meliora argumētis docuerit, immortalis me sibi beneficio deuinciet.

*De viribus hydrargyri nonnulla. Cap. LXIII.*

**D**E Hydrargyri & Stibij, quod Antimonium vocāt, materia, natura, viribus, vsu, nihil ex professo, sed ea tantum dicam obiter, quæ iam mihi in mētem veniunt: & sic dicam, quomodo mihi occurrunt. Nihil nunc explorati de tota eorum natura affirmare tibi possum. Hydrargyro in suffumigijs & vnguentis promorbo Gallico tunc vsus aliquando fui, cū aliorum remediorum experiētiā nullam adhuc haberem. Postea hisce tanquam parum tutis, at accōmodatis, remedijs vti desij. Intra corpus nulli vnquam ausus sum vel hydrargyrum vel præcipitatum, vel alia huius farinæ propinare: nec bona conscientia ab vllō præberi posse iudico. Quare de hoc plura non dicam.

De viribus & Antimonij usu quedam.

Cap. LXV

**P**reparavit hic Stibium per calcinationem, ita ferè, ut Mathiolus docet, D. Sigismundus Melanthon præstantis doctrinæ Medicus: ac præter salem nihil admiscuit: res pulcherrimè successit. Redditum est splendidum, & pellucens instar vitri, rubrum pariter ac fragile. Et sanè non videtur hoc medicamentum naturæ vitri expers esse: quo mihi nomine magis est suspectum. Certè qui ex nostratibus nomen ei indiderunt, & Spiesglas appellarunt, in eadem sententia fuisse mihi videntur. Nō nescio interim alijs aliter videri: & ex sulphure, argento viuo, argēto vero, (quidam etiam auri nescio quas venas ac semina somniant,) componere. Hoc posteriore modo præparatū ausus sum hypochondriaca melancholia laboranti, quatuor granorum pondere, ter exhibere. Verūm sine fructu fuit: quamvis per vomitum multa æger (non sine magno dolore) pituitosa & biliosa excrementa reiecit. In proprietatem latentem primæ speciei, vix, puto, reducetur hæc ipsius actio seu facultas, qua tanto impetu vomitum ciet. Quippe absque delectu omnes ipsum humores vacuare intelligo. Quinetiam grumos sanguinis unà cum cæteris humoribus nonnullos per vomitum reiecit ex illis, qui ipsum hauissent, audiui. Quæ si vera sunt, cōmuni quadam deleteria virtute agit, non propria quadam. Quod enim æqualiter obuium quemlibet humorem exturbat, instar vomitoriorum aliorum vacuare censendum est. Adde quod in præparatione formam aboleri, & solas materiæ qualitates relinquere necessum est. Præparationis finis is esse dicitur, ut quæ in eo malefica inest qualitas, hoc modo auferatur: atque minore deinceps periculo vsurpetur. Siquidem

Preparatio Stibij  
D. Sigismundi  
Melanthonis.

Ex quibus  
componat  
quidam Stibium.

Stibium nō  
purgat potentia  
forma.

Finis præparationis  
in Stibio.



*Vis purgatoria Stibij est materiae proprietas.*

*Stibiũ participat hydragryũ.*

aliquid ei præparatio aliud addere putetur, solã tenuitatem partiũ attulerit. Omnia enim metallica vsta tenuiora efficiuntur, quã ante vstionem essent. Ergo si virtutis ipsius ratio reddi ex notis qualitatibus non potest, relinquitur eam temperamenti & materiae proprietatem sequi. Audio nanque calorem in eo etiam concinnè præparato nullum aut perpusillum deprehendi. Certè tantus non est, à quo ventriculus ita molestetur, vt à sumpto pharmaco isto molestari eum cernimus. Quocirca ignota sic etiam erit causa, licet aliquantò ad ipsius cognitionem accedere propius posse videamur. Saltem illud intelligimus, temperamentum ipsum obtinuissè corpori nostro prorsus inimicũ: & hinc vires ei adesse irritandi tantas, quæ expultricem facultatem cogat tanto cum impetu ex corpore bona simul cum malis eijcere instar præcipitati Mercurij: ac similia venenosorum pharmacorum. Et sanè Mercurij particeps ipsum esse, vel hinc intelligeremus, etiam si nemo nos monuisset. Non aliter sanè tam citò, tam violenter, tam multos, tam varios, tam crassos, lentosque humores per vomitum ac secessum expurgauerit. Referunt vix dimidiam in corpore horam manere cum vētriculum incipit affligere, illorum more, quæ violenter vomitum cient. Nonnunquam sedato iam vomitu, per inferiora etiam purgat. In causa est, sicut existimo, quod partes aliqua ipsius ad intestina delapsæ sunt. Sic angustata natura ab hoc medicamento videtur, vt per omnes vias expellere celerrimè conetur. Quod quomodo vsuueniat, ex supra dictis perfacilè intelligi poterit. Nam si vel odor, vel conspectus medicamentorum nobis aduersantium corpus concutere totum potest, ac præterea aluum turbare, quoties excrementis redundat, nihil miri accidit, cum ab ingestis

1. natura multò magis ac grauius affligitur. Referrebat

nuper mihi Medicus Illustris Principis, D. Marcus Rec-  
 claw, se ex nobili scemina, cui fuisset exhibitum, au-  
 diuisse, visum ei esse animam è corpore exiisse: atque  
 circa lecti cœlum aberrauisse. Tandem perrupisse me-  
 dicamentum, & aluum turbauisse. Affirmauit mihi  
 Marchionis Badensis Philiberti Medicus, se aliquot no-  
 uisse, quibus ex eius vsu venæ in pectore aut pulmonibus  
 ruptæ sunt: qui que phthisici perierunt. Pharmaco-  
 copœi etiam nostri famulus, vt se à peste præseruaret,  
 sumpsit ipse grana, opinor, quinque. Paulò post crum-  
 pente ex ore ac naribus sanguine, sensu & mente amis-  
 sis tertio die animam efflauit. Huius generis historias  
 recensere plurimas possem, si res posceret. Qui sa-  
 pit ex recitatis perspiciet, quanto cum discrimine hu-  
 iusmodi deuoranda exhibeantur à rudibus, & sæpe  
 immaniter impijs, non Medicis, sed Carnificibus. Au-  
 rifex quidam Cracouiensis, teste Antonio Schneber-  
 gero Medico, peste correptis exhibere ausus est dena-  
 rij pondere cum cereuisia & butyro. Nec mirum est  
 Idiotas in talibus audaces esse, cum periculum non  
 intelligant: sed quod vni per accidens fortè profuit,  
 omnibus profuturum putent. Sic interdum eos mor-  
 bos expellunt, quos Medici præstantissimi vix fuerant  
 curaturi. Ea nanque exhibent, quæ aut naturam pro-  
 sternant, aut morbi causam tollere cogant. Qui hoc  
 modo pereunt, quauis potius alia causa, quam vi me-  
 dicamenti exhibiti perisse ipsis putantur. Qui à me  
 hic vsque cogniti sunt tam audacter exhibere, om-  
 nes imperitissimi artis Medicæ, (vt cæteras virtutes  
 eorum sileam.) fuere. Qui deum credit malefacto-  
 rum vindicem ultoremque, is à noxijs medicamen-  
 tis, cum ad manum sunt alia, diligenter abstinebit:  
 ne quando homicidij, accusante conscientia, reus fi-  
 at. Parum profuerit nouendecim curasse periculoso

Historicæ  
 aliquot nar-  
 rationes de  
 illis, qui sti-  
 bium sum-  
 pserunt.

2.  
 3.

4.  
 Antonius  
 Schneber-  
 ger, Medi-  
 cus.  
 Cur Idio-  
 tæ audaces  
 sint in me-  
 dicando.

Stibio auda-  
 cter vtentes  
 omnes im-  
 peritissimi  
 sunt.



De Stibio  
quid sentie  
am.

Fructus Sti  
bij in peste.

curationis genere, quo vigesimus aut trigesimus sit necatus. Vt breuiter, quod sentio, dicam, sic iudico: Vomitorium esse violentum. Si quas præterea vires habet, quas habere ipsum non nego, maleficas & noxias esse aio. Ac tantò sunt inimiciores nobis, quantò in minore quantitate tanta cum vehementia perturbare corporis nostri facultates potest. Audiui ab homine in arte Medica, præsertim verò Chirurgia, exercitato, obseruatũ à se esse, huius pharmaci vsurpationẽ Symptomata induxisse, qualia solent argenti viui, sublimati, præcipitati, vsu consequi. Nisi vehementer fallor, vidi ipse quoq; ægrum miserè pereuntem, cui eiusmodi quippiam exhibitum fuerat. Nam os, fauces, gingiuæ, & gula etiam exulcerata erant: & profluxerat incredibilis putrida saniei copia. Tandem exulceratis & ruptis in pectore venis interijt. Participare naturam hydrargyri hoc etiam declarat, quod similiter superiora petit: atq; aliquaedam facit, quæ illud facere consuevit. Scriptũ est mihi ex vrbe magna & celebri, exhibitũ peste laborantibus ibidem fuisse compluribus, (itemq; alijs etiã malis oppressis,) & infelici euentu. Alios enim mortuos, alijs intestina, alijs vètriculum, alijs alias partes, collum, os, &c. ita afflictas fuisse, vt vehementer optarint nunquam vidisse hoc pharmacũ. Atq; huius vi & malignitate mala enumerata accidisse scribebatur. Vt semel tandem omnia dicam, nõ minus tutum censeo Srimmeos vsu, si intra corpus sumatur, quàm vel hydrargyri, vel præcipitati, vel sublimati: & similium. Quoniam in exigua quãtitate vires maximas habet, atq; ob id sine nausea sumi potest, cõmendatione dignum esset, nisi plus malefica virtute noceret, quàm vomitoria potestate iuuat. Esto, robustioribus ad vomendum idoneis, ventriculumq; carnosiores nactis, aliquo tempore profuerit: an ob id tanquam medicamentum laudari dignum est?

est? Non arbitror. Quicquid enim suapte natura, & proprijs insitisq; viribus tempore ac modo debito exhibitum nocere potest ac solet, tamen si aliquo tēpore non nocuerit, hoc, vt noxium pharmacū, meritò reijcimus. Quis enim sanus iubeat aliquem de loco alto resilire, & nō potius per scalas descendere, quia vnū alterumq; sine offensa desilisse vidit? Adijciam hoc quoq; ex cōpluribus, qui eo vsi sunt crebrius, vix vnum mihi visum esse, qui fructum ex vsurpatione perceperit. Et vt commodi nonnunquam ex eo sumentibus aliquid enatum concedamus, quis, rogo te, hactenus desipiat, vt tantulum commodum periculo tam manifesto redimendum putet? Consulius esse nullus nescit, tempore paulo longiore & tutò curari, quàm paulò breuiore cum certo vitæ periculo sanari.

*Refutatio rationis, qua Paracelsi vsus Stibij commendant. Cap. LXVI.*

**A**Vdi verò, quàm futiliter nobis pharmaci huius auctores id nobis cōmendent. Solum inquit, metalla cuncta purgat à sordibus: maximè omnium aurum. Hoc enim innoxie purificat: cætera corrumpit ac perdit. Verisimile porrò est, quod nobilissimum metallorum ab omni immunditia liberat, homini quoq; inter animalia nobilissimo similiter conducere. Quis non hic videat omnia esse inepta, putida, falsa? Quippe si rectè colligunt inertes isti, firmè quoq; argumentabimur, ignem citra noxam hominem ab omni sorde purgare. Etenim ignis eadem facit: aurum scilicet absq; detrimento & læsione aliqua. maximè omnium purificat: cum reliqua metalla vniuersa tandem perdat. Hoc de homine qui affirmare audet, haud aliam responsionem meretur, quàm vt vel in igne coniectus vel igne hausto

*Solum Stibium metalla cuncta purgat.*

*Ignis eadē facit, quod Stibium.*



*Cur aurum  
ab igne cor-  
rumpi ne-  
queat.*

*Cur ignis  
(et similia)  
aurū emun-  
dent, ac reli-  
qua per-  
dant.*

*Aurum illa  
solum puri-  
ficant, quæ  
ipsum dis-  
soluunt.*

ab immunditia purgetur. Si mitionem eandem vel si-  
milem obtinuissent homo & aurum, tolerabile foret,  
quod dicitur. Ita nanq; exactè in auro humida cū ficcis  
permista & temperata sunt, vt nulla quantumuis mini-  
ma particula non vtrunq; obtinuerit. Hinc fit vt neq;  
terreæ partes ab igne deuri, neque aqueæ dissipari &  
absumi possint. In alijs metallis particulæ quædam ter-  
reæ nō sunt exactissimè cum humidis mistæ. Quare ab  
igne in cinerem soluuntur: humore eas nullo satis de-  
fendente. Sic & aqueæ nonnullæ, quæcunq; vel seor-  
sum quodammodo consistunt, vel mistæ quidem sunt  
cum ficcis, at separari iterum ab eis valent, in halitum  
vertuntur. Ignis igitur, & quæ simili aliqua potestate  
pollent, propter dictam causam aurum non perdunt:  
alia omnia perimunt & dissoluunt. Purificant autem  
talia aurum, dum aliena, quæ cum auro confusa sunt,  
eodem modo, quo alia omnia, corrumpunt. Scire por-  
rò velim cur valere potius putent argumentum hoc:  
Pharmacum tale aurum sine damno purgat: Ergo e-  
tiam homines: quàm illud: Purgat hoc medicamen ho-  
mines, Ergo & aurū. Quam ob causam illud probant,  
hoc improbant: cū ratiocinationis modus & forma  
eadem vtrobique cernatur. Atqui falsum posterius  
esse nullus ibit inficias, puto. Quippe Rhabarbarum,  
Scammonium, Colocynthis, & huius generis alia plu-  
rima: Item æs vstum, Flos æris, &c. denique Mercurius  
præcipitatus, sublimatus, &c. nos purgant: quæ an au-  
rum similiter perficiant ipsi viderint. Si non est neces-  
se, vt quæ nos absq; vitio mundant, aurum quoq; sine  
iactura purius efficiant, ne illud quidem fuerit necessa-  
rium, vt, quod aurum purificat, etiam homines abs-  
que læsione purget. Planius sententiæ huius pestife-  
ræ falsitatem intelliges, si cogites, ab auro sordes in-  
teriores alienasq; partes illa duntaxat auferre, quæ  
ipsum

ipsum erodere, soluere, liquefacere, ualent. Hæc pernicioſa corporibus hominum eſſe qui non uidet, nihil uidet. Ignem intueantur, qui ſic delirant. Tantum igitur abeſt, ut aurum repurgantia nobis cõmendent, ut exitioſa eſſe neceſſarium proſuſ exiſtat. Sanè perquam ridiculum eſt putare pharmacum ideo prodeſſe aliquod vel obeſſe hominibus, quia metalla iuuent aut lædant. Sunt enim res longè diuerſiſſimæ, quæ nullam inter ſe habent affinitatem. Quinimò non ſemper homini confert aut officit, quod animalibus quibuſdam utile eſt vel inutile. Quoniam ſunt uenena nobis quædam, quæ aliquibus alimenta exiſtunt. Sunt & excrementa noſtra nonnullis cibis: & quorundam recrementa uiciſſim nobis admodum ſunt grata uel medicamenta, uel odoramenta. Adde quod in purgatione etiam nullo pacto ſequitur, Hoc purgati ſine damno animal tale: Ergo purgabit pariter innoxie hominem. Tam non ſequitur hoc, quàm non rectè collegeris hominem ferrum concoquere, quia Struthio concoquat. Sunt auiculæ, exempli gratia, quæ araneorum uſu pulchrè purgantur: quos nemo ſanus homini offerat purgationis cauſa. Et quod his omnibus amplius eſt, ne in vna quidem ſpecie firma ſatis eſt prædicta ratio: inatio. Etenim quæ pleroſque omnes purgant, certis quibuſdam ſunt nutrimenta: aut ſaltem non eos mouent. Exempla exiſtant plurima: ut Theophræſti præteream. Quidam lacte hauſto, nonnulli à carnibus ouillis cometiſtis: alij ex aquæ potu: multi à uinis austeris: alij denique ab alijs tum cibis tum potibus purgantur, à quibus alij ne tantillum quidem commouentur. Quod ſi respondeas *ἰσοσυγκρασίαν* huius rei cauſam eſſe, hoc tibi reponam. Si temperamenti proprietas poteſt efficere, ut, quod toti ſpeciei inimicum eſt, aliquibus indiuiduis

Recremen-  
ta noſtra a-  
lijs quibuſ-  
dam anima-  
libus nocēt:  
atq; nonul-  
lorū excre-  
mēta nobis  
conferunt.

Alij ab alijs  
rebus pur-  
gantur: qui  
bus alij iu-  
cundè ve-  
ſcuntur.



in ea specie amicum sit, multò magis vsuuenire potest, vt quod vni alicui specie prodest, alij longè diuersissimæ (præsertim verò si sub diuersis generibus comprehensæ sint) vel officiat, vel non eodem modo commo- det. Pessimè igitur ex eo concludunt Stibium homini inimicum non esse, quia aurum purius efficiat. At non omnes occidit, inquires, qui eo vtuntur. Fateor. Sed nec alia venena omnes interficiunt. Magna est enim naturarum seu temperamentorum diuersitas. Quo fit, vt quamuis specifica medicaminis alicuius qualitas inimica sit toti alicui speciei, nò tamè omnibus illius speciei indiuiduis similiter noceat. Præter iam dicta illud quoq; considerandum est, quodlibet agens effectum producere non qualem ipsum parere per se potest, sed qualem cuiusq; rei natura suscipere apta est. Hoc si nò esset, idem agens in quamlibet materiam eundem insculperet effectum. At hoc fieri non posse, nec factum vnquam fuisse, manifestius est, quàm vt ostensione opus habeat. Quamobrem non est necessarium, vt Stibium purget hominem sine detrimento & iactura salutis, quia aurum purificare solitum sit. Non enim aptus est homo sic pati ab igne & à Stibio, &c. quomodo aurum & cætera metalla ab eisdem patiuntur. Si rectè colligere voluissent huius medicamenti laudatores & approbatores, sic ratiocinari eos conueniebat. Stibium omnibus metallis excepto auro nocet, propterea quod non æquè mista sunt: Ergo homini quoq; exitium adfert: cùm in eius corpore sicca cum humidis perfectè adeò unita non sint. Causa huius rei est in vsu posita. Nam non potuissent animalia nutriri, viuere, operatio- nes suas exercere, si membra instar auri habuissent rigida & dura. Libet hoc etiam addere, metalla omnia ex sententia quorundã homines purgare: auro excepto quod purgare nullus dixit. Quod si ergo Stibium me- tallum

Agens pro natura, nò sua, sed patientis diuersa efficit.

Cur animalium corpora non obtinent eandem cum metallis temperiem.

talla omnia extra aurum purgandō perdit, nos quoq;  
 perdet potius, quàm purgabit. Non enim, puto, quis-  
 quam adeo est impudens vt valeat affirmare, eandem  
 aut similem esse nostri corporis temperaturā cum au-  
 ri temperie potius, quàm aliorum metallorum. Quo-  
 niam si affinitas esset aliqua, nutrire aurum posset. At  
 superari ab ingenito nobis calore, vt in sanguinem per-  
 mutetur, nequit. Quocirca verum hoc semper erit, non  
 minus nobis obfuturum, quàm metallis reliquis. Hoc  
 de vitro Antimonij appellati quouis modo preparato  
 concedunt peritiores: at de oleo & Mercurio ex eo ex-  
 tracto non perinde concedunt. At frustra effugiū qua-  
 runt. Nam Stibij oleum manifestè retinet corporis sui  
 proprietates & temperamentum, (non est pars, quæ in  
 toto confusa tantum latuerit) sicut supra ostendi. Suffi-  
 cit in præsentia monere, vt vnusquisq; tutis vtatur po-  
 tius remedijs, quàm hisce periculosis: præsertim cum  
 idem illis absq; periculo efficere possimus, quod his si-  
 ne certo salutis ac vitæ discrimine consequi non possu-  
 mus. Sed de Stibio & similibus alij iam scripserunt: alij  
 deinceps scribent. Ego illa tantum effundere volui hic,  
 quæ nunc dicenda occurrerunt. Vale Heydel.

bergæ 11. Calend. Aug. Anno

1563.

*Vitrum An-  
 timonij ue-  
 nenuatū est.*

*Tutis po-  
 tius reme-  
 dijs, quàm  
 periculosis  
 vtendum.*



EXPLICATIO  
 TRIVM QVAESTIONVM  
 DE MEDICAMENTORVM PVR-  
 gantium facultatibus: quibus tota ferè na-  
 tura eorum declaratur.

Medicariū  
 quæstionū  
 duo sunt  
 genera.



Vo sunt genera ferè summa quæstionum  
 artis nostræ, D. Simon Grynæ amicissimè:  
 in quorum altero eæ continentur, quæ ad  
 vsum artis præcipuè pertinēt: in altero illæ  
 potissimū comprehenduntur, quæ artis vsum transcen-  
 dunt, ac logicæ à Galeno alicubi vocantur. Reperias for-  
 tasse, quæ mediæ videantur esse, atq; ad vtrumq; genus  
 pertinere putentur: de quibus non admodum hic sum-  
 sollicitus, illas sobriè tractandas censeo: vt in earū expli-  
 catione ab eruditissimorū atq; experientis. Medicorū  
 sententia non faciliè recedas. Omnes hic circumstantiæ  
 omniaq; argumenta accuratè ac diligenter examinan-  
 da erunt: nec antè contra receptam sententiā pronun-  
 ciandū fuerit, quā omnibus diligentissime perpen-  
 libratis certè cōstet, nuper excogitatam opinionē pon-  
 dere ac firmitate argumentorū ita præponderare, vt au-  
 thoritates faciliè deprimat. De alteris liberius disputari  
 posse arbitror: cū id citra periculū cuiusquā fiat. Quo-  
 niam utrū sentias, morborū curatio semper eadē per-  
 manet. Talis est quæstio, quā Galenus i. de loc. aff. cap. 1.  
 proponit. Talis est inuestigatio causæ dierū Criticorū  
 quales sint. Talis est disputatio de causa cōtinente. Nam qui putri-  
 dum humorem putridæ alicuius febris continentem  
 causam statuit, non aliter eandem, siquidem Medicus  
 fuerit, curare tentabit, quàm is qui eundem humorem  
 eiusdem febris continentē causam esse negat. Nihil ex-  
 go prohibet, quin exercere in his potius ingenia liceat,  
 quam

quàm in primi generis quæstionibus: vbi cum periculo multorū erratur. Mediç medio modo tractari debebūt. Commemoro hæc non ob aliam rationem, quàm vt causam intelligas, quæ me adhuc absterruit, à propositarum mihi abs te quæstionum disputatione. Ego quidem aliter de hac re sentio, quàm pleriq; aliî: ita tamen à cæteris dissentio, vt interea idem cum omnibus agam. Nam quotiens morbus à pituitosis vel biliosis humoribus ortus fuit, ac purgatione in eius curatione opus est, purgantibus vtor talibus, quæ peculiari virtute pituitā vel bilem detrahere vulgò dicuntur & creduntur. Quod cū facio, idem cū cæteris facio: nec idem tamen sentio. Sed neq; contra meam sententiam, quæ à cōmuni opinione longè diuersa est, aliquid facio. Proinde ita has disputo quæstiones omnes, ac si ad vsum nulla earum pertineret: licet postrema huc omninò pertineat. Hoc factum meum si tu quoq; imitaberis, nullo periculo vel tuo vel aliorum ab alijs dissenties. Moneo ergo te, vt sic vtaris purgantibus medicamentis, quemadmodum cæteros ea vsurpare nosti: quantisper nō certus fueris factus, alios haud rectè agere. Iam nunc ad rem ipsam accedo. Quæstiones à te mihi propositæ huiusmodi sunt. Prima, vtrum purgantia medicamenta occulta virtute, an potius manifesta ac nota qualitate noxios ex corpore humores educant? Altera, Quō vel quid agendo purgēt? Tertia, an ex illis aliqua bilem solā, quædam pituitā solam, nōnulla atrā bilem solū modo, relictis alijs in corpore noxijs humoribus expurgent? Prioribus duabus explicatis, facilius quid de hac tertia sentiendū putem, intelligē. Proinde vt cōmodius, quæ dicēda sunt, intelligant, sciendū est, nos nō de pharmacis partē aliquam vnā corporis purgantibus, vt caput, pectus, vesicā, renes, hepar, &c. hic loq; sed de illis differere tātū, quæ totū corpus vacuāt: ac per excellētiā

*Propositio  
presentis disputationis.*

*Purgantia  
per excellentiā qua  
sint.*



*Gal. purgantis à tota substantia purgare ait.*

*Duo sunt proprietatū occultarum generata.*

purgantia appellantur. Qua ratione illa quoq; excludimus, quæ lubricando, adstringendo, & similibus alijs modis laxare ventrem scribuntur. Vt semel dicam, de illis præcipuè & propè solis disputabimus, quæ latente & incognita facultate putantur corpus totū purgare. Aliorum mentionē facere cogimur interdum, quoties nimirū ex ipsorū comparatione, quæ præcipuè dicere statuimus, planiora nunt. De prima quæstione quid sentit Gal. tum ex alijs ipsius libris, tum ex 3. & 5. de Simp. med. fac. liquidè apparet. Quippe vbiq; ait, à totius Elementiæ vel substantiæ similitudine, proprietate, familiaritate cū humoribus, quos expurgare posse existimantur, virtutē ea purgandi obtinere. Huius sententiæ auctoritatem facit Gal. Hippocratē: de quo tamen aliqui non leuiter ambigunt. Iohan. Mesueus hanc Galeni opinionē reprehendit quidem (vt qui neq; propter similitudinē, neq; propter cōtrarietate concedat purgationes fieri) attamen in eo cū Gal. sentit, quod nulli cognite qualitati eam potestate attribuit: sed formæ substantiali omnē adscribit. Hos alijs omnes ferè, quos aut legi aut coram auidini aliquādo, ita secuti sunt, vt rationes prætereas nullas opinionis suæ habuisse videant. Suspicio ideo factū, quia nunquā cogitarint, falsam posse esse sententiā, que tam constanter à Galeno prodita fuisset. Ego cerrè non nego prorsus plurima ex his medicamentis occulta vi corpus adeo exagitare: verū à formis specificis hoc euenire medicamentorum, credere nondum valeo: Ergo vt meam tibi mentem apertius exponam, meminiforum proprietatibus in Epistola ad D. Henricum Smetium disputauimus. Ibi validè & perspicuè demonstrauimus duo esse harum proprietatum genera: in quorum altero formarum substantiæ potestates, in altero vires materiæ suo quodam mistæ modo collocarentur. Illas

Illas simpliciter occultas esse docui: has obscuras quidem & propemodum imperceptibiles, non tamen similiter, ut priores, incognitas & latentes esse probavi. In eadem illa tractatione illud etiam patuit, Galenū per totius substantiæ similitudinem aliud nihil intelligere, quàm id, quod nos abditam speciei secundæ proprietatem appellauimus. Quocirca cum constet purgantia medicamenta, non vi formæ substantialis, qua tūc, cum agunt, destituta sunt, corpora nostra exagitare: sed viribus in materia & temperamēto insitis molestiā exhibere purgationesq; efficere: utrumq; verè affirmari arbitror, scilicet occulta & aperta virtute humores ab ipsis expurgari. Quod cū dico, nec mihi ipsi, nec Galeno con- tradico. Non enim negat Galenus, quædam ex his, quæ à substantiarum similitudine (sic ipse nominare solet) aliquid agunt patiuntur, probabili suspitione deprehendi posse: imò verò ita rem habere cū alibi, tum in cap. de Abrotono lib. 6. de simpl. med. facult. aperte affirmat. Certum quoq; est, cibos à tota substantia hoc habere, ut cibi sint: eosdem tamen ex sapore & odore aliquomodo cognosci ac inueniri idem ait. Sufficit arbitror, hic ex testimonijs & locis plurimis, solum cap. 15. lib. 4. de simpl. med. facult. citare: in quo disertè hoc affirmare legitur. Ratio eadē est medicamentorū plurimorum: id quod, cū ex alijs cōpluribus locis, tum ex cap. 18. & 22. lib. 4. iam citati operis, colligere licet: ut quotidianam interim experiētiā hic præteream. Et sanè videtur Galenus hanc coniecturam, in illis solis non concedere, quæ per formarum agunt vires seu qualitates. Ideo autem non distinxit eas ab alteris, quia in puris vegetabilibus temperaturam opinatus est esse formam. Quin dubitat aliquoties, an in animalibus forma siue anima aliud sit à temperatura. Ideo verò confessum ac notū esse dixi, medicamenta non purgare virtute sub-

Quid Gale-  
no signifi-  
cet totius  
substantiæ  
similitudo.

Occulte  
proprietates  
aliquæ  
probabili  
suspitione  
deprehenduntur.

Purgantia  
non purgāt  
virtute sub-  
stantialis for-  
mæ.



*Puluis triti  
Magnetis  
non trahit  
ferrum.*

*Forma ca-  
daveris  
pharmaco-  
rum non est  
causa pur-  
gationis.*

*Vis purga-*

stantialis formæ, quòd siue extrinsecus corpori admo-  
ueantur, siue haurienda præbeantur eiusmodi pharma-  
ca, taliter apparatus semper proponuntur, vt formam  
ea retinere suam nullus credere ausit. Quis etenim pu-  
ter, Rhabarbari radicem aridam, inq; puluerem redactã  
(aut expressum ipsius succum) viuentis animam siue  
formã plantæ retinuisse? Multò minus existimari hoc  
poterit de illis, quæ in Electuaria & compositiones in-  
dita, aliterue permutata sunt. Ratio similis est in deco-  
ctionibus, infusionibus, atq; alijs talibus præparati-  
onibus. Notum est triti Magnetis puluerem, ferrum non  
attrahere amplius posse: præsertim si in arido loco ali-  
quandiu seruatus fuerit. Docuit iam olim Aristoteles,  
formam rerum certam requirere quantitatem, vt sub-  
sistere in rectè præparata materia possit. Nã vt in quan-  
titate pulicis non potest hominis forma contineri, ita  
neq; hominis magnitudinem occupare & possidere pu-  
licis forma siue anima possit. Quæ de cadaveris forma  
fingi possunt, hic locum non habent. Etenim ita præpa-  
rantur vt plurimũ hæc medicamenta, decoctione, vltio-  
ne, destillatione, tritura, expressione, & aliarũ tot & tam  
diuersarum rerum admistione, cumq; iisdem fermenta-  
tione, vt hoc effugium frustra queri perfacile quibus vi-  
deat. Equidem potestas, quæ in certa aliqua materia, in  
qua sibi inuicẽ formæ plures diuersæ & contrariæ (quo-  
ad contrariæ esse possunt) succedunt, permanet, nõ po-  
test alicuius prædictarum formarum potentia propria  
censeri. Nam si primæ fuisset essentialis virtus, ea aboli-  
ta nõ mãsisset in subiecto diuersa specie informato. Ra-  
tio par est secundæ, tertię, & aliarũ omnium. Profecto  
nec vltimæ est peculiaris qualitas: cum sub præcedenti-  
bus etiam in subiecto inhæserit. Quamobrem nullus  
dici poterit formæ propria facultas, quæ talis existit.  
Cæterum purgatrix facultas talis est: vt vel vno Scam-  
moni

monij aut ellebori exemplo demonstrari potest. Quippe in viua plāta scammonij virtus est purgādi bilem: quod à nemine arbitror negatum iri. At plantæ anima extincta eadem remanet: cadaueris forma succedente. Etenim aridæ quoque plantæ puluis ac succus strenuè bilem purgat. Eadem si à capra deuoretur, & in ventriculo primum, deinde in iccinore, demum in vberibus coquatur & transformetur, inque speciem aliam subinde transplantetur, permanebit nihilominus in lacte ex hac planta generata vis purgatrix. Quocirca nullius formæ existimari debet propria virtus esse, quæ toties mutatis formis deleta nunquam fuit. Eius ergo potestas est dicenda, quod per has mutationes relictum est, non eius, quod abiit. Hoc autem est materia. Et si enim hæc perpeffa est alterationes multas & magnas, aliquid tamen eorum reseruauit, quæ ab initio, dum sub forma scammonij produceretur, retinuit. Ergo perspicuè apparet, purgantia medicamenta vi atque potestate, non formæ, sed materiæ ac temperamenti potius hoc efficere, vt humores ex corpore exturbentur. Quoniam nulla facultas in eis superest alia, post tot & tales præparaciones. Coniungo semper materiam cum temperamento: ne putes me nudam & simplicem intelligere temperiem. Quippe alia est temperies lactis, quæ ex casei, feri, & butyri partibus, lac constituentibus nascitur: & alia, quæ in proportionem primarū qualitātū consistere cogitatur. Haud enim difficile fortasse fuerit ex alijs corporibus cōpositis, temperamentū, quod ad primas attinet istas qualitates, simile efficere ei, quod in lacte deprehenditur. Attamen nō eadem erit vtriusq; cōsistentia, forma, sapor, odor, potestas. In causa est, quod in longissimè alia aliterque affecta materia consistit lactis temperies, quàm quæ in alio illo corpore inest. Huiusmodi temperiem lactis vocat Auicenna secundam,

*trix eadem  
sub diuersis  
similibus for-  
mis conser-  
uatur.*

*Purgantia  
potestate  
materiæ  
purgāt, nō  
formæ.*

*Temperies  
duplex: pri-  
ma & secū-  
da.*

*Temperies  
secunda  
quid sit Auicennæ.*



comparatione alterius, quam primā appellat: quasi hæc non ex mistis, sed ex elementis primò nata fuisset. Quā Auicenna secundam temperiem vocat, nos autem nomine materiæ & temperamenti plerunque cōiunctim efferimus, videtur Galenus totam appellare substantiā, siue essentiam. Quamobrem non aliud sensit Galenus, hac in parte ab eo, quod nos dicimus: quāuis alijs verbis cogitationes suas edisserat. In quo probando ne sine causā hæream diutius, ad cap. 15. lib. 4. de simpl. med. fac. te remitto. Etenim in hoc loco ferè ex professo suā de occultarum proprietatum, origine, & causis, sententiam, dilucidè satis exponit: dum declarat, quæ sit substantiarum similitudinis & dissimilitudinis ratio & causa. Huius locum velim te diligenter ponderare: & cum alijs de re eadem sententijs conferre. Nos hanc disputationem in præsentī loco, vt minimè necessariam, omittemus: atque illud ostendemus, non prorsus ignota hominibus qualitate purgare, quæ abdita tantum facultate purgare dicuntur, principio paulò altius repetito. Quæcunque medicamenta aluum turbant, aut faciunt hoc nota & manifesta qualitate, aut occulta quadā potestate: quam Galenus familiaritatem seu similitudinē totius substantiæ appellauit. Nota qualitate purgant, quæcunq; lubricando, comprimendo, abstergendo, excrementa promouent. In hoc genere illa quoq; recenseri possunt, quæ virtutem expultricē pungendo ac mordendo exstimulant: cuius generis omnia calida & acria, præterea tenuium partium esse oportet: ac succum vitilem ac dulcem in se nullum, aut prorsus paucum, continere. Nam acria vitilem succum possidentia, etsi tenuia sunt, & purgare etiam possunt, vt plurimum tamen vinas potius mouent. At quæ crassarum sunt partium, ferè ad septicorum naturam accedunt. Ergo acria, tenuia, succo dulci carentia, nota qualitate, scilicet acrimonia, purgatio-

Quot sunt  
modi seu  
species pur-  
gantium.

purgationes efficiunt. Talia sunt, hyssopus, pulegium, parthenium, tragoriganum, capita thymi, thlaspi, satureia, aristolochia, centaurium minus, radix pyrethri, pulvis Galeni diospoliticus, & similes: sales quidam, sal-fugo, cyclaminus, flos & squama aris: succus thapsia, fo-lia & succus laureolæ, euphorbiū: & huius generis alia plura. Quod salsa eodem fermè pacto vētrem soluant, & ad excretionem sollicitent, post Medicos etiam Idio-tis notum est. Omnia hæc erodendo & mordēdo vena-rum oscula, quæ ad ventriculum & intestina pertinent, vim expultricem quasi dormitantem excitant: & ad ex-pulsionem, cum aliorum humorum redundantium & noxiorum, tum suimet, impellunt: nisi fortè ex eis qua-dam abstergendo potius putentur solvere aluum. Diffe-runt autem inter se, quod calidiora, vt euphorbium & cyclaminus in minore quantitate, imbecilliora autem non nisi in magna quantitate exhibita, ventrem turbāt. Sanè quo vnumquodq; medicamentum acrius est, mi-nusq; succi utilis continet, tantò efficacius & minore in quantitate officium suum peragit: dummodo mordax caliditas ipsius non mox exsoluatur & evanescat. Vnde nonnulla utilis succi non parum in se continentia: aut calorem in valde tenuibus partibus, quæ facilè euapo-rent ac distribuuntur, possidentia, nō purgant, nisi cras-siuscule trita exhibeantur. In hanc sententiam Hippoc. lib. de locis in homine υποχωρητικὰ vocavit, ὅσα ὀλιγοθη-ρὰ καὶ τμηματώδεα: καὶ ὅσα ἐν τοῖσι θερμοῖσιν λεπτόνονται: (ἢ γὰρ κοιλίῃ θερμῇ ἐστὶ) καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἀλμυρὰ: καὶ ὅσα τῶν τοιούτων πλείστον ἔχουσι. Quod præter incidentia seu purgā-tia, quæ præsertim à calore ventriculi extenuantur, etiā salsa purgare affirmat Hippocrates, controuersia, puto, caret. Tam est enim euidentis hoc, vt admonitione opus nulla habeat. Quis non legit vel apud Galenū, vel alios Græcos, in quotidiano apud eos vsu fuisse, vt subducen-

Mordican-  
do qua pur-  
gent.

Salsa ven-  
trem subdu-  
cū mordē-  
do.

Que phar-  
maca ma-  
gis minus-  
que pur-  
gent.

Que pur-  
gent apud  
Hippocra-  
tem.



di ventris causa antè alios cibos vsurparent garum? aut huius generis alia cõdimenta? Quis ignorat hodie, ple-rosq; strenuè admodum vacuari thermarum potu sal-  
farum? Recitabo historiam veram huc spectantem. Au-  
riga quidam non paucos febre diurna febricitantes,  
aut aliàs malè affectos, haustu vini exhibito, in quo ma-  
nipulum salis prius dissoluisset, liberauit. Per vomitũ &  
deiectionem purgati sunt magna cũ violentia, qui hau-  
ferunt. Quidã à diurno capitis dolore, & febribus ter-  
tianis nothis, postquam diu eas sustinuisent, hac ratio-  
ne conualuere. Sed multi alijs, quibus intempestiuè ex-  
hibitum fuisset pharmacum, aut debiliores existissent,  
grauissimè hinc offensi fuerunt: nõnulli etiam ob eam  
causam, vt videbatur, interierunt. Quam hic aliam pur-  
gationis causam, præter vellicationẽ seu rosionem cõ-  
minisci poterimus? Hoc ferè modo cibi quoq; purgant  
atq; potus: qui aut qualitate sua solum, aut copia, aut  
vitrisq; molesta sunt: naturamq; ad excretionẽ stimu-  
lent. Vidi ego non semel, (& videre vnusquisq; potuit,  
qui modo animaduertere voluit) quosdam sic à febrim-  
bus putridis subitò liberatos fuisse: putrido humore  
per superiora & inferiora excreto. Equidem vulgus ex  
frequenti experientia persuasus est, non aliam esse me-  
liorem ac tutiorẽ curationem diurnarum febrim,  
quàm vt æger illis, quæ appetit, se vsq; ad nausèam re-  
pleat. Tali copia grauata natura insurgit ad expulsionẽ:  
& humorem putidum, siquidem paratus iam sit ad eie-  
ctionẽ, vnà cum cibo eo potuq; exturbat: quod & Hip-  
pocrates mox post citata nuper verba affirmavit. Vbi  
verò hæc ante coctionem fiunt, non periclitantur mo-  
do ægri, sed aliquando extinguuntur: quod factum fuit  
se in quibusdam quartanarijs certò scio. Neq; aliter vel  
vomitiones fiunt vel spontaneæ euacuationes. Quippe  
semper impellitur natura, vel à noxia & molesta humo-  
rum

Qua ratio  
ne cibi ali-  
qui aluum  
turbent.

Spontanea  
rum purga-  
tionũ cau-  
sa.

rum qualitate, vel ab eorum copia molestiam inferente: siue in ventriculo, siue alibi in partibus ei vicinis acervati fuerint. Docuit idem hoc Hippoc. in lib. de purgantibus, his verbis. Cibos etiam nos alentes medicamenta esse putandum est: verum minus quàm illa. Homines enim qui his rectè in cibo utuntur, sani sunt: qui non rectè, ægrotant. Qui modum excedunt, purgantur quidem velut à sinceris medicamentis, verum minus & tardius, quàm à sinceris medicamentis. Clarum igitur est, quod & hi medicamenta existunt. At verò hi tardiores, qui & familiares nobis sunt: & quotidie in corpus ingrediuntur: si temerè & negligenter exhibeantur, temerè homines turbant. Consentanea sunt hæc Hippoc. verba experientiæ, sicut patet. Simile quiddam in vrinæ stillicidio contingit, cum ea est acrior reddita: & hac sua acrimonia ad eò vesicam vellicat ac pungit, ut ne minimam quidem ipsius quantitatem tolerare possit. Sic quotidie aluus à bile flava stimulata, excrementa deponit. Argumento sit, quod in regio morbo, cum ad intestina bilis non effunditur, sed cum sanguine per corpus fertur, tarde & difficulter excrementa deijciuntur. Ut semel dicam, consentiunt huic rei naturales actiones omnes: id quod artis nostræ periti omninò vident. Hinc aliqui à placētis pipere largo cõditis leniter purgantur: si quidem à pastu, cum amplius avidè, ad se attrahit familiares hepar succos, eisdem vescantur. Tunc enim illas partes nondum concoctione euictas, & venarum oscula leuiter erodentes, per intestina depulisse, vna cum superuacaneis humoribus ibidem hærentibus, contenta est. Sic illa etiam purgare videntur, quæ umbilico imposita conturbare ventrem dicuntur. Nam qua ratione alia purgent, dici nõ facile potest. Frustra enim tractionis à tota substãtia meminerimus.

*Cibi aluum purgant.*

*Ictericum aluum habet duriores.*

*Pharmaca umbilico imposita, quo pacto purgant.*



Si enim hoc pacto purgarent, ad cutem ad se humores traherent, instar eorum, quæ vesicas excitare consuecunt: nõ per aluum deturbarent. Adde quod secundũ Galeni opinionem à totius substantiæ similitudine trahentia, nõ trahunt remota, sed proxima duntaxat. Quãobrem illa solum trahendo vacuare poterunt, quæ in cute, musculis, membranis, & vasis ventris cõprehenduntur. At neq; hæc neq; longius distita trahendo purgant. Etenim ne fingi quidem aptè potest, hanc totius substantiæ virtutẽ per cutem, carnes, peritoneum, intestinorũ tunicas, mesenterij venas ad hepar, & vltra hoc sitas venas, peruadere: & humores in eis cõtentos sic educere: quomodo Magnetẽ allicere ad se ferrũ cernimus. Equidẽ Magnetis quoq; actio inanis est, si vel per interiectũ corpus aliquod, vel procul posita trahere debeat. Longiuscule igitur distãtia nequaquã trahendo educere poterunt vètri imposita pharmaca. Quod vicina nõ attrahant, patet. Non enim per cutem exeunt, aut in vesicas sub cuticula colliguntur: sed per intestina extra corpus eijciantur. Quare nõ trahendo, sed pellendo ad intestina ex venis & musculis ad intestina extrudũr. Manifestè satis nunc patet, haud alia ratione, quàm virtutẽ expultricem irritando talia corpus turbare, aluumq; mouere. Par ratio illorum est, quæ ventri aut pectini imposita vrinas euocant. Non dispari modo quosdam, & me quoq; si nõ fallor, sæpenumero purgarunt vina cruda, acerbã: & quæcunq; dolorem cum copioso flatu in ventre suscitant. Profectò vina prædicta cum me, tum alios plurimos, ita nonnunquã purgarunt, vt non magis purgaturum fuisse medicamentum haustum videretur: quantumuis adstringendi vi minimè obscura, sed planè manifesta & insensibili prædita fuissent. Quod si hæc non caliditate mordendoque virtutem ad expulsionem irritare, sed alio quodam modo impellere contendas.

*Magnetis actio qua ratione inanis reddatur.*

*Pectini imposita quomodo vrinas prouocent.*

das, non reclamo. Satis est nobis hoc loco indicasse, ta-  
 lia perturbare ventrem, quia dolorem molestiamq; ei  
 adferant: non quia cæca innominata omninò qualita-  
 te seu virtute, amicos ad se humores ex corpore, instar  
 viuentium plantarum allectent. Præter ea quæ à nobis  
 hucusq; enumerata sunt, reperiuntur alia quædam pur-  
 gantia, quæ non æquè promptè ac facilè possunt in su-  
 periorum censu atq; ordine locari. Quippe nec lubri-  
 cando, nec comprimendo, nec detergendo, nec eroden-  
 do, pleraq; ex his ventrem strenuè admodum contur-  
 bare videntur. De prioribus qualitibus nullus dubi-  
 tat. De caliditate mordaci nonnullos dubitasse præcla-  
 rè scio, propterea quod ex Gal. sententia huius generis  
 medicamenta calida sunt omnia: quanquam hoc Ari-  
 stoteli nequaquam probabile visum est. Vt breuiter di-  
 cam & apertè, quod sentio, vix puto à simplici calidita-  
 te, vt à vera & propinquissima causa, proficisci ipsorum  
 actiones. Vt enim ea nō nihil adiuuet, in aliquibus tan-  
 ta non videtur esse, vt tantoperè molesta corpori esse  
 queat. Quinimo in aliquibus gustus, vix vestigium aut  
 signum immoderæ caliditatis deprehendit. Verunta-  
 men hic non anxie sum sollicitus, quid omninò hac in  
 parte sit: verum: præsertim quia nostræ sententiæ neu-  
 trum aduersatur. Non nescio certè, illas partes in medi-  
 camentis, quæ gustum minimè mouere possunt, effica-  
 cissimas aliquando esse in agendo, postquam videlicet  
 mistione soluta ab alijs secreta sunt: vt à nobis alibi o-  
 stensum fuit. Galenus mehercule constanter multis in  
 locis asseuerat, purgantia medicamenta omnia caloris  
 excitandi potentiam habere. Quanquam enim acrimo-  
 nia & caliditas eorū non sit manifesta semper ac sen-  
 sibilis, nihilominus latere in ijs calorem immoderatum  
 rectè censuit. Testimonia reperies aperta in lib. 4. de rat.  
 vict. acut. exposit. 7. In libello, quos, quibus, quādo, oportet

*Multa pur-  
 gant ocul-  
 ta virtute  
 absq; mor-  
 dicante ca-  
 lore.*

*partes  
 pharmaco-  
 rum gustū  
 latentes se-  
 pè in agen-  
 do primas  
 tenent.*



tet purgare. In lib. 5. de Simpl. med. fac. cap. 17. Et 1. Aph. 24. Item in sect. 4. Aph. 19. alijsq; in locis quibusdam. Sed hæc vtut se habeant, non parum certè dubito, an in illis pharmacis, in quibus gustatus calorem nullum percipit, calor tantus latere possit, quantus ad corpus tam validè exagitandum requiri videtur. Facilius multò lōga frigiditas à paucis retunditur calore, quàm exiguum calorem multò amplior frigiditas prorsus

*Cur alij sa-  
pores vali-  
dius, alij lan-  
guidius gu-  
stum mo-  
ueant.*

tegat. Amarum vel acris sapor per paucarum partium alicuius medicamenti, vehementia sua potest longè plures frigiditas partes obscurare & tegere. At non contra, paucæ frigidæ, multas calidas abscondere gustui possunt. In causa est, quod huiusmodi saporès longè sunt efficaciores in mouendo gustu, quàm illi, qui in frigidis insunt partibus, quemadmodum & caloris actio facilius nostris sensibus innotescit, quàm frigoris. Sic opij & lactucæ frigiditas, vt plurima alia præteream, ab illius amaritudine, ab huius autem lactea dulcedine facilè tegitur. Quamobrem horum actionem cum Galeno rectius ac verius in abditam latentemq; facultatem, quam à tota substantia sua sortita sunt, quàm in simplicem caliditatem venas pungentem &

*Quomodo  
tum visa tū  
odoratu so-  
lum perce-  
pta purgēt.*

stimulantem referri arbitror. Confirmat non parum sententiam nostram, quod aliquando visa solum quædam, vel odore tantum percepta nauseam mouent, vomitum efficiunt, aluumq; perturbant: nulla etiam præcedente acri punctione. Profectò quæ intra corpus sumpta non sunt, excretricem virtutem acrimonia sua pun gere nequeūt. Aliter ergo purgant: nempe quia natura ea abhorret, siue calida sint siue non sint. Sic ad mentio nem solam certorum medicamentorum aut etiam ciborum aliqui purgari nonnunquā solent: excitata propter imaginationē virtute expultrice. Sed de his in sequentibus plura nos dicere oportebit. Iam verò cōstat, quod

etiam supra monui, Galenum per totam substantiã in medicaminib. nihil aliud intellexisse, quàm rei cuiusq; materiam propinquã, vnà cum temperamento: siue cuiusq; rei materiã propriam cum suo tẽperamento: quã in lib. 3. de temperamentis cap. 4. nomine naturæ mihi videtur expressisse. Hanc autem à nobis aliquomodo, etsi non exactè, posse cognosci, supra breuiter, attamen euidenter satis ostendimus. Non sunt eadem, (quod Gal. quoq; in 3. de compositione  $\chi$   $\gamma$   $\delta$   $\epsilon$   $\zeta$   $\eta$   $\theta$   $\iota$   $\kappa$   $\lambda$   $\mu$   $\nu$   $\xi$   $\omicron$   $\pi$   $\rho$   $\sigma$   $\tau$   $\upsilon$   $\phi$   $\chi$   $\psi$   $\omega$  cap. 1. asseruit) nouisse aliquid: & idem exactè nouisse. Quo fit, vt si hanc etiam qualitã notam homini esse dicamus, non prorsus ei contradicamus, qui occultam esse ait. Exactè namq; nota nõ est: sed quasi per vmbra[m] quandam visa & probabili quadã suspitione cognita: quomodo Gal. Lycopersiũ herbam se ex odore deprehendisse scribit exitiosam esse: & quomodo aliquando de ignotis rebus seu cibis ex sapore odoreq; iudicare consueuimus: priusquã periculum eorũ fecerimus. Quippe lingua illis cibis iucundè afficitur & delectatur, quibus eget ventriculus: vt in 4. de Simpl. med. fac. in quarto de sympt. causis: & in libro de aliment. facult. Galenus testificatur. Sic nota potest vocari hæc facultas, & ignota: aperta & inaperta. Ignota quidem, quia exactè naturã eius, quẽ & qualis sit, ignoramus: nomẽ facultatis nescimus. Hoc solum scimus, aduersariã eam esse nostræ naturæ. Nihilominus dicitur eadem hæc nota nobis esse: quoniam sensus in rebus eam adesse percipiũt. Quippe gustus atq; odoratus eam nobis inesse nunciant. Proinde cum eam vel gustamus vel odoramus solũ, sæpenumero horrore quodã perfundimur, & planè percutimur: tametsi id, quod ita nobis aduersum est, nominare nesciamus. Cæterorum potestas nõ caret nomine. Nullus enim nescit, qd sit mordere & pungere, extergere, lubricare, humectare, emollire, cõprimere, dolorẽ ac molestiam.

Quid Galenus intelligat per totam substantiam.

Nouisse & exactè nouisse differunt.

Vis purgatrix nota est & occulta.

Differetia inter agentia qualitate nota & ignota.



Proprieta-  
tes formæ  
substantia-  
lis prorsus  
occultæ  
sunt.

Quomodo  
vis purga-  
rix appel-  
letur.

tiam inferre soluendo, premendo, grauando, extendendo, aliterue contra naturam afficiendo. Itaq; rectè dicimus ea, quæ sic purgant, nota vi purgare, dum qualis ea sit notis nominibus exprimere possumus. At illorum facultatem generatim solum nobis dicimus aduerfarium inimicamq; esse: vnde & occultam esse eandem probè dicimus. Eadem tamen illa, quia sensibus percipitur, non quidem integrè, sed aliquo modo solum, etiam nota est: si cum illis comparatur, quæ à formis substantiarum effectricibus manant. Etenim hæ per sensus nõ sic possunt apprehendi. Quamobrem cum Gal. ait ex occultis proprietatibus istis, quas à tota substantia proficisci asserit, aliquas probabili suspitione (*ἡσυχία τῶν θαρῆ*) cognosci, de illis accipiendum est. At cum id non in omnibus contingere mox addit, de his est intelligendum, quæ substantialis formæ sunt facultates. Has namq; occultas prorsus esse, ac sensu nullo percipi ante actionem suam, sed sola experientia cognosci, certum est. Ergo cum ex purgantibus quædam nota, quædam ignota nobis qualitate naturam ad expulsionem humorum incitare dicimus, nõ aliud vel dicimus vel sentimus, quam tunc dicimus & sentimus, cum omnia per notam quidem potestatem conturbare ventrem asserimus, quæ tamen in alijs sit planè euidens, in alijs obscura & probabili tantum suspitione ante experientiam accepta & cognita. Quæ si vno sit veluti nomine exprimenda, naturæ nostræ inimica qualitas poterit vocari: quæ odor ac sapor ferè nobis indicent adesse. Sic bruta quoq; naturæ suæ familiaria & amica, à noxijs & inimicis diiudicant. Proinde mirum non est, homines etiam vtilia ab inutilibus & perniciosis, sensibus aliquo pacto distinguere. Atq; hæcenus congruit nostra sententia cū Gale ni mente: nisi quod dilucidius quædam exposuimus, quæ apud ipsum reperies obscurius dicta. Nolo in præsentia pluribus

pluribus inquirere, verum quæ hoc modo corpus purgant, id propter substantiarum similitudinem, an propter inimicitiam faciant? Cœpit hæc similitudo iam olim doctis fermè omnibus suspecta esse. Equidem nullus propè est eruditus, qui non libentius inimicitiam, quàm amicitiam agnoscat. Quæ fuerit Auicennæ obiectio notum est. Quid responderint iuxta Galenum alijs, non minus patet. Quam benè defenderint causam, hoc loco referre non est opus. Quod si vera sunt, quæ mox dicemus, palàm intelligetur, purgantia non amica, sed hostili qualitate corpus exagitare. Quinetiam Galenus non vno loco docet, purgantia genere deleteriorum & maleficorum contineri: quæ qui substantia similia nobis probabit, magnum operæ precium præstabit. Ergo si inter trahens pharmacum & tractum humorè est substantiarum similitudo, statuere nos oportet bilem, pituitam, &c. ex deleteriorum genere existere. At ex his nos aliqua ex parte constamus. Ergo erimus ipsi quoque bona ex parte in eodem genere. Cōcludetur hac ratione, tandem, vt bilis, pituita, &c. tam non possint nocere nobis, quàm non nocent venena sua serpentibus. Si de bile, pituita, &c. corruptis, accipienda quis respondeat, facile refutabitur. Etenim Agaricus, exempli gratia, nõ tantum pessimè corruptã pituitam purgat, sed obuiam quamlibet: modò pituitæ speciem naturamq; seruet. Quare iudicanda erit pituita quælibet deleteria. Eadè valet ratio in bile tum flua tum nigra. Quamobrè constat secundum hanc opinionem corpus nostrum magna ex parte ex deleterijs. Ego mehercle sic iudico, si quod pharmacum bilem propter substantiæ similitudinem purget, illam maximè & felicissimè detrahere, quæ minimè corrupta sit: ac maximè familiaris nobis existat. Cùm primum enim corrumpi incipit, iam bilis quodammodo esse desinit: ac in alienã familiam tran-

*Substantiarum similitudo iam olim doctis suspecta fuit.*

*Agaricus obuiam quælibet pituitam detrahit.*

*Bilem purgantia per similitudinem substantiæ incorrupta potius detrahunt.*



fit. Quis, quæso te, rem ipsam æstimans, pharmacum quod cum bile dicitur substantiæ habere familiaritatē maiorē habere cum corrupta quā integra opinabitur? Sed pharmaca interim constat feliciter expurgare concocta, quàm cruda naturaliter affecta. Cum illis ergo, quàm cum his, maiorē habitura essent affinitatē: si hæc causa tractionis foret. Quod cum sit à ratione alienū, necessum est, ut aliam ob causam concocta facilius purgetur quàm cruda. Haud facilè etiam dixerimus, cur, si substantiarum illa similitudo statuatur causa purgatio-

*Non omne simile trahit simile.*

*Similia multa substantijs nõ purgant.*

*Obiectio.*

*Responsio.*

num, non omne simile trahat simile? aut cur idem medicamentum duos nonnunquā aut tres humores specie ac natura distinctos trahat? Equidem perquam absurdè excusabimus, si dicamus vnam aliquam rem tota sua substantia similem esse specie ac natura tota discernētibilibus rebus. Qualitates potest res vna possidere differentes, propter quas similitudinem habeat cum pluribus: at nobis de tota substantia sermo est. Certum quoq; est ex alimentis aliqua longè maiorem habere cum bile aut pituita affinitatem substantiarum quibusuis purgantibus: ut quæ frequentius & facilius in hos humores transmutentur purgantibus. At si quis hæc bilem aut pituitam ob id purgare diceret, an non iure optimo exploderetur? Aliud ergo est à similitudine ista, quod facit, ut hæc nõ purgent, illa verò purgēt.

Si excipias, ideo alimenta non vacuare suos humores trahendo, quia multum utilis succi simul obtinuerint, qui in sanguinem permutetur, humorem naturæ necessarium & gratum: frustra effugiū hoc quæri respondebo. Erit enim utrobique par ratio: & proinde adhuc sequetur promptius alimenta suos ad se succos attrahēra, quàm purgantia: quod maior in illis sit substantiæ cognatio, quam in his. (Taceo, quod ob eandem causam sanguinem ab eis educi oporteret.) Quippe si naturæ

tura consentaneè docuit Galenus, pituitam semicoctum sanguinem esse: & coctione vltiore in sanguinem transire: bilem autè sanguinem plus iusto coctum esse (vt illa citra, hæc vltra sanguinem consistat) necessariū prorsus est, vt, quod in pituitā & bilem verti potest, in sanguinem quoq; verti posse concedamus. Vt enim in bilem mutetur, in sanguinē prius mutari oportet: cū natura de extremo vno ad alterum nunquam & nunquam transeat, quin per medium eat. Sic quod pituita fit, coctione ampliore sanguis efficitur. At in sanguinem quæ permutari possunt, alimentorum genere ac censu comprehenduntur. Ergo cū inficiari nullus (qui modò sit sanus. Paracelsicos enim insanientes nullo loco ducimus) possit aut velit vera esse, quæ de humorum generatione prodidit Galenus, nulla erit inter alimenta & purgatoria pharmaca distinctio alia, quàm quod illa facilius & frequentius, hæc difficilius & infrequentius vincuntur: id est, inter alimenta collocabunt, quæ nobis minus sunt vsitata & consueta. Nam ex hoc substantiarum similitudinem probat Galenus, quod in humorē purgandum à calore validiore verti possint. Quare non habebunt pharmaca purgatoria cum vno solo humore substantiarum similitudinem: sed cum omnibus tum humoribus tum membris. Qui ergo inter malefica & deleteria numerari poterunt? aut quare ratione propter substantiæ amicitiam plus alimentis purgabunt? Sed desino absurda referre, quæ hanc opinionem consequuntur, præsertim cū in sequentibus alia insuper attingere nos oporteat. Nunc satis est monuisse, nos in quibusdam purgantibus libenter cum Gal. occultam virtutem admittere: (licet istam substantiarum similitudinē tractionis seu purgationis causam minimè concedamus) eam scilicet, quæ totam substantiam, hoc est, materiæ & temperamenti proprie-

*Natura nõ  
trāsīt absq;  
medio de  
extremo v-  
no ad alte-  
rum.*

*Purgantia  
non conti-  
nentur ge-  
nere malefi-  
corum.*

*Quædam  
propter la-  
tentem vir-  
tutem pur-  
gant.*



tatem comitatur. Quare hac in parte à Galeno minime discedimus.

QVAESTIO SECVNDA.

**I**N altera quaestione plus est dissensionis: siquidē idē semper & vbiq; Gal. existimasse hac de re putetur. Quoniā ipse videtur medicamentis attribuere facultatem humorē sibi familiarē sic attrahendi, quē admodū plantæ, (& omninō quæ nutriuntur) alimentum sibi

*Quæ purgant, ideo purgant, quia molestiam creāt naturæ.*

*Galen. sola asseueratione suam sententiā probat.*

*Pharmaca purgantia non purgāt trahendo.*

conueniens ad se pertrahunt. Nos cōtra putamus propterea purgare, quia naturæ sint vel qualitate, vel quantitate, vel tota sua natura, molesta: eamq; hoc modo excitent ad expellendum, quicquid expurgatu est idoneum. Quod quomodo contingat, ex dicendis intelligetur. Ceterū eam fuisse Galeni mentē, quam nuper esse diximus, is solus dubitauerit, qui ab arte nostra est alienissimus. Quod si hanc argumentis sententiam ita comprobasset, vt plerunq; probare sua solitus fuit, facilius appareret, quantum in hac causa insit veri. Nunc quia sola asseueratione vtitur, minus intelligit opinio- nis falsitas. Sanē cū contra antiquos de hac re disputat, non suā vtiq; sententiā argumentis astruit, sed illorum solū modo destruit. Proinde vt me nō prorsus nullis rationibus moueri videas, & occasionē atq; causam diligentius de his rebus cogitandi latā tibi memineras, aliquot argumenta adducā, quibus causa nostra defendi probabiliter possit. Antequā hoc faciam, de Galenica tractione dicam aliquid. Non enim puto necessariū esse, vt operosius eam confutem: cū vix cuiquā verē credita fuerit. Quotus enim quisq; putet medicamenta humores corporis expurgandi ita ad se allectare, sicut res nutrita alimentum sibi conueniens attrahere solet atque potest? Quoniam quæ nutriuntur, alunturque viuunt: & nutrimentum idcirco ad se alliciunt, vt eo

vt eo perfruantur & alantur. Mortua autem corpora neq; nutriri, neq; eam ob causam aliquid ad se attrahere, notius est, quàm vt à me probari debeat. Non minus apertum est, purgantia sic apparatus, vt exhiberi purgantibus solent, mortua esse corpora vitæq; omnis expertia. Quo fit, vt finem aut scopum, propter quem attrahant ad se humores, difficile (vt ne dicam impossibile) sit exponere. Nihil enim propter ipsum trahere, vt rectè Galen ait, trahit: sed vt attracto perfruatur. Cæterum nõ trahere medicamenta purgatoria ob eum finem, vt attractis fruantur succis, cõtrouersia, puto, omni caret. Nõ enim apud se retinent: nec in corpore manent. Deinde si vel humori, vel pharmaco vis trahendi foret adscribenda, humori certè potius foret attribuenda. Quamuis non uiuat, videtur tamen magis vitæ esse particeps, quàm pharmacum. Parum me mouet, quod obiectũ hic mihi recõrdor, calorem ac dolorem attrahere etiam: non tamen vt fruantur attrahere. Aliud enim est, dolorem & calorem attrahere: & aliud est rem corporatam aliquid attrahere. Dolor & calor qualitates sunt, atq; longè alia ratione trahunt, quàm medicamẽta trahere existimantur. Calor quomodo trahat, notum est. Dolor nõ trahit, sed natura, teste Galeno 5. Aph. 53. & 13. Meth. cap. 3. ad locum dolore affectũ sanguine ac spiritu præsidium allatura accurrens, per accidens partem dolentem replet. Ac fortè nõ aliter attrahit dolor, quàm purgantia, quæ scilicet mordendo & dolorem creando ventrẽ turbant. Præterea ad eò est generalis tum caloris tum doloris tractio: vt ad presens negotium accommodari nõ possint. Quoniam neq; dolor neq; calor certũ humorẽ instar magnetis cuiusdã trahunt, sed absq; discrimine, quicquid trahi potest, alliciunt. Ineptior est adhuc obiectio, de similibus propter caloris actionem confluentibus. Quoniam confluxus iste τῶν ὁμοφύλων non fit per

Mortua nil attrahit a limenti causa.

Nihil propter ipsum trahere trahit.

Si tractio esset, humor potius traheret quam traheretur.

Quomodo tum dolor tum calor dicantur trahere.

Dolor non trahit.



tractionem, sed per amotionem eius, quod similia à se inuicem disiungebat: quæ natura coniungi aptè poterant. Quod porrò neque illa tractio, quæ fit propter euitationem vacui, nostræ sententiæ repugnet, notum est similiter. Exemplum magnetis etiam non quadrat.

*Tractio magnetis longè differt à putata purgatione.*

Quippe vt fruatur ferro, ipsum ad se pertrahit: si vera scribunt authores. Deinde actu hanc possidet virtutem propter formam. In puluerem namque redactus, potestatem hanc omnem perdit. Ingens ergo hic quodque disparitas est. Constat sanè, medicamenta purgantia, non nisi cocta, macerata, trita, vsta, lota, exhiberi. Sæpe numero per distillandi artem partes eorum maxime, siquidem molem spectes, auferuntur & secernuntur, priusquam deuoranda proponantur. Quo fit, vt, si maxime à forma sua virtutem talem possidere fingantur, eandem tamen retinere ( sic permutata & mista ) credi ac fingi nequirent. Taceo iam quod quædam comesta, & in ventriculo, hepate, venis, vberibusq; transmutata (respondet hæc mutatio quodammodo, multiplici alterationi per distillationem factæ) adhuc purgant. In sanis sit oportet, qui ad formam medicamenti potius, quam ad materię proprietatem pertinere vim purgatricem in talibus opinetur. Quin & semina vim succi, quo nutriantur, ex terra ad se pertrahendi retinentia, tunc eandem amittunt, cum vel teruntur, vel simili alio quopiam modo tractantur. Cum agaricū, thabarbarum, aloen, & alia plura, vel abluere vel macerare, humoribus sæpe mutatis, vobis, vim purgatricem in humorem deponere ea cernes omnem, adeo vt relictæ partes adstringant potius, quam soluant. Quis hic formam ablutam ab illis credat? Tenuis & acres tantum particule abluuntur, in quibus vis purgandi insidet. Nisi omninò fallor, poterit ex dictis cognosci, exemplū in natura nullum exstare talis tractio-

*Semina tria vires suas amittunt simile produci.*

*Nullū ereditæ tractio nis purgantium in natura exemplū exstat.*

nis, qualis in medicamentis inesse creditur. Omnia namq; non

non propter materiam, sed propter formā aut animam sibi conueniens attrahunt: quæcunq; scilicet sic attrahūt, vt ratio attractionis reddi nulla possit. Etenim calor, dolor, cucurbitulæ medicæ, medicamenta calida tenuia trahant, non est inapertum. Trahit pilos & feculas succinum: sed nihil simile tractio hæc habet cum purgantiū tractione: vt de ea Galenus locutus fuit. Prius-  
 mum nõ trahit succinum certam aliquā rem, sed res diuersissimas: vt filum laneum, lineum, pilos, plumas, feculas, foliola: deniq; rē quamuis leuiusculam. Grauiusculas enim cuiuscunq; naturæ sint, nõ mouet. Deinde non trahit nisi valde propinqua, & quæ fermè tangit. Tercio non trahit quicquam, nisi prius ex attritu aut cōfrictu incaluerit, & sic halitum expiret: quem naribus percipere solemus. Vnde doctis naturam eius bituminosam cōsiderantibus non est obscura tractionis illius causa. Medicamēta certè purgatoria, siquidem trahēdo purgāt, trahunt nõ propter insitam formā, sed propter elementares qualitates in materia tali repertas. Ostensum hoc iā ante fuit, & ostendi etiā nunc exemplis propriis euidentissimis poterit. Si capra vel mulier scammonium aut plantā aliā strenuè purgatoriā perederit, atq; cōcoxerit, efficitur lac purgatoriū, aded vt infās, qui covescitur lacte, purgetur. Nū forma harū plantarū corrupta nõ fuit, cū in ventriculo primū coquerentur? Saltem postea est fugata, quando in hepate in sanguinē sunt permutatæ. Si ne hoc quidē admittas, cogere in sanguine innumerabiles substātiales formas panis, carnis, herbe, casei, vini, &c. ponere. Postea cū ex sanguine permutato in vberibus lac generatur, quis permansisse formā putet? Atqui hoc lac est purgatoriū. Et hæc vim adeptū est ex scammonio vel alio tali pharmaco comesto. Ergo nõ formā, sed materiæ proprietarē adesse fatēdū est. Nõ fit hic aliud, quàm in omni alio cibo. Quocunq; n.

*Succini tractio qualis fit.*

*Purgantia trahūt per qualitates elementares.*

*Animaliū carnes referūt saporibus alimentorum.*



*Historia an  
seris recre-  
mentis nu-  
cum iuglan-  
diū pasti.*

*Pruna, v-  
uæ, poma  
etc. quomo-  
do purga-  
toria nascā-  
tur.*

*Gallin. car-  
nes quomo-  
do purgato-  
riæ efficiantur.*

cibo vescantur animalia, eum sapiunt & redolent quodammodo carnes eorum. Vnde eorundem animalium carnes modo suauiores, modo insuauiores sentiuntur esse, propter alimentorum diuersitatem. Quod nisi esset testatum notumq; cunctis, facile à me demonstrari, & Gal. etiam testimonio cōprobari posset. Vnam hoc loco historiā præterire non debeo: cum ex ea, quod hic propositum est, clarissimè possit intelligi. Emit aliquando famula mea pinguisimū anserem recentem seu pulum, qui saginatus fuerat reliquijs nucum iuglandium, ex quibus oleum expressum fuerat. Coctū edere nemo potuit, propter carniū odorem: quæ nihil aliud, quàm reliquias illas representabant. Qui hac in re dubij aliquid habet, experiatur: quo dubitatione omni liberatus facilius, quæ dicimus, intelligat. Ratio hæc nō in animalibus tantum, verum etiam in plantis locum habet.

Quippe simili ferè modo pruna purgatoria reddere docemur: nempe vt arborem aliquot locis perforemus, & foraminibus scammonio, alijsq; talibus pharmacis repletis, eadem accuratè obturemus. Eadem ratione vitinum seu vūæ purgatoriæ effici scribuntur, si scammonium indatur, vel elleborus circa radices multus seratur. An est aliquis tam vecors, vt in prunis formā scammonij aliquam superesse opinetur? Docuit me aliquando præceptorum meorum vnus, purgatorias reddere gallinarum carnes. Ac successit res. Decoquenda sunt purgantia pharmaca, vt elleborus, scammonium, agaricus, tithymalli, cum tritico aut hordeo. Hoc solo exsiccatum si pulli vescantur longo tempore, purgat eorū carnes: nec est tamen gustui valde ingrata. Quot hic factæ sunt permutationes? An adèd est aliquis imperitus & amens, vt hic etiam aliquid formæ pharmacorum superesse putet? Qui credit, sic cerebrū habet pituita oppletū, vt nullo elleboro fortè expurgari possit. Possent huius

huius generis alia afferre plura, si res postularet. Qui hæc cum paulò antedictis de medicamentorum præparatione cõiunxerit, nihil dubitabit affirmare, virtutem purgatricẽ in materiæ qualitatibus (quæ cuiq; rei sua est, proxima scilicet non remota: quæ multis est cõmunis) tantum inhærere. Quocirca vel probandum erit in aliarum etiam rerum materia sola, non autem forma, trahendi istã virtutem similium inesse: vel, si hoc de nulla re possit verè confirmari, confitendum & concedendum erit, ne in purgatorijs quidem pharmacis eandẽ illam tractricem potentiam inueniri. Quippe forma sua, vt est efficaciter ostensum, priuata tunc sunt, cùm purgant. Quare aliã ob causam purgare ipsa corpus dicendum & sentiendum est. Quod si etiã alicubi in sola cuiuspiam rei materia potestas hæc attractrix similium inueniretur, nondum tamen in purgantibus eam reperiatur nobis cõstaret, ob id, quod in re alia quapiam reperiatur. Semper probabilior hæc foret ratiocinatio: Multa sine hac vi trahẽdi egregiè purgant pituitam, bilem, &c. Ergo probabile est etiã reliqua sine tractrice illa potentia cæca purgare. Obijciat fortasse aliquis perinde esse, quod dico, ac si quis Magnetem ferrum non trahere ex eo concludere tentet, quod res animæ ac vitæ expers alia nulla inueniatur simili potestate prædita. Quocirca posse fieri, vt in purgantibus vis per tractionem certos humores educendi insit, quamuis in rebus alijs non facile talis reperiatur. Huic respondeo, Magnetis vim sepe per actionem suam ita prodere, vt de ea dubitare nobis non sit integrum. Quod si eodẽ modo constaret nobis trahendi potentiam illam similium inesse vt purgantibus, frustra dubitaremus. Ideo ambigimus, quia certi nihil scimus: & rationes vacationis alias intelligimus. Magnum proinde est inter hanc & Magnetis virtutem discrimen. Ad hæc accedit, quod Galenus Argumentũ,

*In nullius rei materia inest vis similium tractrix, quæ in purgantibus fingitur.*

*Obiectio.*

*Responsio.*



*Exempla Galenica tractionis.* quo suam tractionē illam probaret, excogitare nullum potuit. Attulit ille quidem exempla primo de fac. nat. cap. 14. de vellentibus furculos, & telorum cuspides: de extrahentibus venena, (quæ super ipsis medicamentis iacere aliquando conspecta sint) de tritico aquam ad se alliciente. Sed hæc animos studiosorum veritatis non explent. Qua ratione triticum humorē ad se pertrahat, notum est: nec exemplum ad hoc negotium quadrat.

*Qua ratione pharmaca furculos extrahant.* Quæ furculos & tela extrahunt, quæq; venena educunt, longè alia vi id faciunt. Norunt hoc eruditi Medici: & intellexerunt aliqua ex parte veteres: vt ex citato Galeni loco patet. Obseruavi ego etiam quid talia possent: sed nihil deprehendi quod huic disputationi seruiret. Si horum euulsio à totius substantiæ similitudine perficitur, necessarium est, vt infinitarum penè rerum similitudinē res vna obtinuerit. Etenim furculi sunt lignei, aridi, virētes, (vt spinæ) cornei, ossei, lapidei, ferrei, ærei, spina piscium, vitrei, testacei, alijs. Telorum item cuspides sunt ferreæ, æreæ, lapideæ, osseæ, plūbeæ, corneæ, lignæ, &c. At vnū medicamentū omnibus vtilitatem præstat.

*Nulla pharmaca venena per delictū educunt extra corpora.* Cum omnibus igitur similitudinem habet. Si habentur pharmaca venena tali potestate educentia, cur ea non per os exhibemus ijs, qui fortè venenum hauserunt? Si isto modo liceret venena expurgare, multò pauciores periclitaretur. Adde quod ad singula fermè venena plura & diuersa pharmaca præscribuntur: in quibus eandē virtutem inesse tam sit parum probabile, quàm non est verisimile virtutem Magnetis, aut potentiam ridendi in alijs rebus, quàm in Magnete ac homine inesse. Si enim tales in vllis rebus potestates inhærent, formæ substantialis sunt proprietates. Iam enim ostensum est, materia qualitates esse nō posse. Ad extremum illud quodque ad rem non nihil facit, quod ante Galenum tractationis huius purgantium nullus, quātum scire possumus, aperit

appetere & explicatè meminit. Nam Hippocrates detrahere quidem purgantia humores ait, verùm sic dicere hoc videtur, vt nos diuretica vrinã ciere dicimus. Siue enim hæc medicamenta crassiores sanguinis partes cogēdo, serofasq; secernendo, (quæ Gal. est sententia) siue acrimonia sua virtutem stimulando ad expulsionem sui acferi quod in venis reperitur, excitent, (quæ mea est opinio) improprie vrinam trahere tamē dicentur. Sanè cū Aristoteles ait, hæc pharmaca καθάριεν, nō aliter sensit. Etenim hanc eorum operationem reducit in *δυσωδία* & *ἀπεψία*, atq; caliditatem cōturbantem: non in cæcā potentiam detrahendi certos humores. Quippe cibos etiam, si nimij sint deuorati, detrahere, καθάριεν, asserit. Frequenter sic loquitur, vt ea dicat *κοιλίαν κινεῖν ἢ λύσειν*: quemadmodū nos quoq; libenter loquimur. Quid alijs ante Galenum Medici præclari senserint, haud fortè satis constat. Velim intelligere, cur, si trahendo pharmaca purgant, propter operationem medicaminum quidam exsoluantur? alij tormina & vertiginem patiantur? Friuola est ratio, quæ ferè ab omnibus adfertur, ideo nimirum vsuuenire, quod pharmacum sanguinem & carnes eliquet: vt proprium humorem trahendum inde eliciat. Equidē Hippoc in lib. de nat. hom. cōstanter ac verè asseuerat, bilem vtramq; pituitam, & sanguinem, omni tempore, loco, ætate, &c. dum homo vit, in eo inueniri. Et sanè in sanguine reliquos humores cōtineri, magno omnium Medicorum consensu traditur. Semper igitur pharmacum humorem, quem trahere possit, in massa sanguinis inueniet: ut carnes liquare nūquā necesse habeat. Deinde si virtute traëtrice tali purgat, quali vel plantæ succos sibi cōgruētes ad se pertrahunt, vel Magnes ferrū ad se allicit, molestiã humoribus & partib. alijs nullis adferēt. Nā vt plantæ succū sibi conuenientē non inuenientes, peregrinos nō attrahūt,

Qua ratio  
ne diureti-  
ca vrinas  
vacuent.

Cur pro-  
pter purga-  
tiones ali-  
qui exsolu-  
tur.

Pharmaca  
non colli-  
ques faciunt  
carnes, vt  
humores  
proprius  
trahant.



In carne bi-  
lis nulla in-  
est.

Quæ pro-  
pter substā-  
tiarū simili-  
tudinē tra-  
hūt, certas  
res, solum-  
modo tra-  
hunt.

Pharmaca  
non purgāt  
virtute es-  
sentiali for-  
mā.

sed emoriuntur potius: & ut Magnes plumbum, paleas, æs, lapides, nō mouet, cum ferrū permistum non habet: ita pharmacū bilem trahens nec sanguini, nec carnibus negotium facesset: vbi bilem nullam repererit. Quippe cum hac, non cum alijs, ponitur habere familiaritatem, qualis inter magnetem & ferrum cernitur. Deniq; quo pacto liquefaciet carnes, ut in eis bilem quærat, quæ eis non inest? Non possum non demirari Medicorum hæc in parte negligentiam. Tam enim inest in carne bilis, quàm inest panis aut vinū: ex quibus coaluit: qua de re postea etiam dicendum erit. Igitur si ob id exsolutiones statuātur fieri, quia pharmacū proprium humorem nō inueniens eum in colliquatis carnibus quærat, iubeo te bono animo esse. Nunquā enim nō reperiet satis humorum, quos trahat, sanguini permistorum: ex quo extrahere facillè poterit, quod virtute tali præditū est. Nec est cur obijciatur alienorū humorū permistio. Etenim ut ex terra plātæ succos sibi familiares cum alijs mistos attrahunt: & Magnes ferrū cum plumbo mistum, illud non hoc, ad se pellicit: ita pharmacū bilem alliciet, nec sanguine nec pituita motis: nisi si quid ei fortè horum adhaferit. Quippe trahit vnum, quodq; humorem suū, non alienum. Quod nisi affirmetur, propter substantiarum similitudinē trahere nunquā probabiliter dicetur. Quoniam si obuium quodlibet trahant, frustra substantiarum cognationem cōmentus fuerit Galenus. Quod si proprium trahere non poterit, alienum ne quidē mouere tentabit: quomō neq; Magnes plumbum mouere conatur: cū ferrum permouere nequit. Ceterum ut hæc disputationem concludam, dico, pharmaca purgantia non virtute alicuius, sed facultate materiæ purgare: sicut euidenter ac solidè probauimus. Iam cū in vniuersa natura res nulla exstet, cuius materia talem sortita fuerit trahendi potentiam, qualem in his pharmacis inest.

inesse arbitrati fuerunt Medici, meritò dubitari potest, rectè ne an secus id affirmauerit Galenus. Quæ res est in vniuersitate hac rerum omnium, quæ tot substantiales mutationes perpeffa suam trahendi potestatem retinuerit? Loquor de potestate pertrahendi ad se certam rem duntaxat: non obuiam quamlibet. Equidem quæ certas tantummodo res, mouent ac trahunt, propter certam formam trahunt: non propter materiæ proprietatem. Si liqueret, sicut liquet Magnetem trahere ferrum, infania foret, id in controuersiam vocare uelle. Quis porrò uel uidit, uel quacunq; alia via & ratione certò percepit, medicamentum aliquod sic pertraxisse ad se bilem ex uenis, quomodo Magnes ad se ferrum attrahit? uel succos familiares plantæ ex terra exsugunt? Præterquàm quod incertissimum est, rationes quoq; adsunt bonæ, quæ contrarium doceant: quarum aliquas iam adduximus: aliquas dicendis inspergere cogemur. Postremò argumenta occurrunt, post manifestam experientiam, non pauca, quibus demonstreretur, non uirtute tractrice aliqua, sed turbatrice purgare, quæcunq; propè purgant. Quoniam ergo sententia Galeni consistere non potest, uidendum est, an uerisimilibus rationibus nostram tibi approbare possimus. Principio probabile uideatur, sic fieri purgationes, quemadmodum sua quotidie aluum excrementa deponere cernimus. At uerò hoc fit, propter bilis molestam quidem, attamē consuetam rorsionem atq; exersionem. Quæ quia exigua est, minus urget, sed leniter tantum naturam incitat: ut paulatim excrementa deorsum detrudat. In purgantibus quia molestia & insolita & magna, contra usuenit, ut breui admodum tempore undiq; noxia magno conatu pellat. Indicium præbet morbus regius seu icterus. Quo qui laborant, rarius excernūt solito. Affirmat hoc idem.

*Res certas solum trahentia formis trahūt.*

*Purgationes ita fiūt, quomodo naturales excretionēs fiunt.*



*Eadē sym-  
ptomata ac-  
cidunt spon-  
te purga-  
tis, & phar-  
maco va-  
cuatis.*

*Quanto re-  
tentrix in-  
firmior est,  
tanto faci-  
lior fit pur-  
gatio.*

*Causa va-  
cuationum  
criticarum  
quæ sit.*

Gal. cū usum bilis in intestina effusæ declarat. Profecto  
haud scio an vllis possit rationibus ostendi aliter natu-  
ram pharmaco purgatorio sumpto ad humorū noxio-  
rum incitari expulsionē, quàm cū ab humoribus mor-  
dacibus agitur. Etenim eadē vtrinq; accidūt sympto-  
mata, siue à medicamēto, siue ab humore intra corpus  
latente vellicetur. Nec vnquā ad expulsionē se cōparat,  
nisi adsit aliquid, quod vel quālitāte vel quantitate mo-  
lestiam ei inferat. Cū primū horum aliquid sentit, ac  
rectē valet, humoriq; dominatur, eundem ex corpore  
mox exturbat. Indicant hoc idē diarrhœa, dysenteria,  
atq; alij ventris fluxus. Quocirca valdē est probabile, si  
hic absq; tractiōe expellere noxiū possit, tūc etiā posse,  
cū à pharmaco excitat. Certē symptomatū similitu-  
do, eandē vtrobiq; causam esse, eodemq; modo agere  
probat. Accedit nonnunquā vt humor irritans nec alle-  
na valde qualitate præditus, nec adeo multus sit, & nihi-  
lominus tamen excernatur: nempe propter expultricis  
virtutis robur, retentricis verò imbecillitatem. At hic  
quoq; locū habet regula dicta. Quanto enim infirmior  
est retentrix potentia, tantò facilius ab humore nō etiā  
valde copioso nec prorsus acri & molesto, offendit. Sa-  
tis est in corpore acervatū esse humorē, qui sua vel co-  
pia vel qualitate lædat virtutē. Semper enim cū rectē va-  
lemus, conat hunc expellere expultrix virtus: vt sic mu-  
nus suū perniciat, corporisq; valetudini consulat. Quo-  
circa cū eadem symptomata tales excretiones à natura  
spōtē sua factas præcedāt ac sequant, quæ purgationes  
per pharmacum excitas præcedere & sequi videmus,  
meritò vtraq; purgatiōes similiter effici credimus. Sa-  
nè crism aliaq; spontaneas vacuationes vertigo (exē-  
pli gratia) interdū præcedit: cuius causam nullus iudi-  
cat esse tractionē, sed potius mordicationē & rosionē.  
Equidē vertigo, animi deliquiū, tormina, à flatu, mor-  
dicatione

dicatione, & rosione, plerunq; fiunt. Vero simile igitur est in arte facta purgatione, nō propter aliquē pharmaci tractū accidere, sed propter molestam agitationē à pharmaco profectam contingere. Confirmat causam, quod membra quædam frequenter ab alijs (præsertim in longiore inedia ac fame) attrahunt, (vt ab hepate ventriculus, & ab alijs alia) nec aliquid huiusmodi tamen vsuuenit. Quod si vertigo tunc accidit, ideo accidit, quia humores attracti in ventriculum, vel sursum in caput vapores mittunt, vel os ventriculi mordicando cerebri spiritus commouent. Ergo si discrimen ali- quod est, hoc est, quod in illis excretionibus humor turbans & stimulans intra corpus collectus est: in his autē medicamentū virtutem similiter stimulans paulo ante assumptum fuit. Deinde quod in illis non, vt in his, in ventriculo vel intestinis causā continetur. Vnde non tam facilè humores, ac medicamenta nuper hausta, corpus cōmouent. Sic turgens materia per corpus discurrens, nonnunquam ab initio aluum turbat. Comparat Galenus eam semini, quod acrius factum est: eamq; ob causam animalia ad coitū incitat: vt stare loco non bene possint. Si hanc vim semē acrius factū obtinet (atq; turgens materia similiter sua acrimonia naturæ molesta est, antequam eius imperio subdita sit) perfacilè intelligitur acrimoniā efficere, vt ex vno loco in aliū pel- latur. Quod si naturæ motibus parēret, hoc est, si ab ea regi se pateret, extra corpus procul dubiò eijceretur: nō ex vno mēbro in aliud protruderet. Similiter ille quoq; purgatiōes siue excretiones, qualescūq; tandē fuerint, quas ab initio in grauib; morbis cū periculo sæpè accidere scimus, fiunt. Etenim hic etiā à multitudine pariter & effræni humorū malitia afflicta natura reijcere à se partē conatur. Quia verò ei non dominatur, mirum nō est, si à relicto in corpore maligno humore sæpè ster-

*Differentia  
vacuationis  
spontaneæ  
& pharmaco  
suscitata.*

*Causa rō d'p  
γάρ, id est,  
ipsius tur-  
gere quæ  
sit.*

*Purgatiōis  
symptoma-  
ticæ quæ sit  
causa.*



Cur circa  
statum ma-  
ximè irrite-  
tur natura.

Cur in sta-  
tu Crises  
plerunq;  
fiant.

Causa ni-  
mie purga-  
tionis decla-  
ratur.

natur vincaturq; vt quæ in illo expulsionis conatu fati-  
gata sit: & fortasse vtilia cum inutilibus extruserit. Pessi-  
mum esse humorem id demonstrat, quod initio, cum  
vires adhuc constant & tolerare aliquid possunt, natu-  
ram ita fatigat, & ad excretionē irritat: cum mala à bo-  
nis nondum separata sunt. Quippe circa statum ferè a-  
liàs tantopere molesti esse solent, non statim in princi-  
pio: propterea quod circa statum, in febribus potissi-  
mum, exusti, & quasi in cineres redacti acrioresq; mul-  
tò redditi sunt. Ratio eadem est in Dysenteria & Tene-  
smo. Quippe hic etiã vlceris dolor à mordacibus geni-  
tus succis causa fit crebrę vacuatiōis. Et in impuro qui-  
dem corpore plus vacuatur, in puriore minus: in quo  
etiam citius solidantur talia vlcera. Nec aliter in crisi-  
bus fit euacuatio humoris noxiij. Etenim laudabiles cri-  
ses in statu solum fiunt, post contractum & secretum  
vitiosum succū, qui morbum peperit. Tunc enim cum  
ab vtili separatus est corruptus, ac naturæ viribus suc-  
cubuit, facilius expellitur. Impellitur autem & com-  
mouetur ab eo virtus expultrix tunc præcipuè, propte-  
rea quod tunc phlegmasiæ, vt ex Hipp. Galenus scribit,  
maximæ fiunt: ac natura præcipuè affligitur, & ad pu-  
gnam strenuè prouocatur. Quoniam propter vtilis suc-  
ci admistionem causa morbi ante concoctionem mi-  
tior aut naturæ minus molesta saltem videbatur esse.  
Idem fit in vomitibus, alijsq; excretionibus. In omni-  
bus namq; virtus expultrix, non quia trahat aliquid, sed  
quia vel à copia, vel à qualitate succorum molesta pre-  
mitur ac vexatur, noxia & vim inferentia repellere à se  
nititur. Totam hanc disputationem illustrat plurimū  
nimie purgationis, quam *ὑπερκάθαρσις* græci appella-  
runt, consideratio. Hanc euenire Galenus in 3. de Simp.  
fac. lib. cap. 27. & 28. propter tres causas scribit, vasorum  
videlicet infirmitatem, osculorū laxitatem, & purgan-  
tis

tis pharmaci mordentem qualitatem. Ex tribus istis cau-  
 sis, postrema ferè sola aliquid valet. Reliquæ duæ aut ni-  
 hil, aut perparum efficiunt. Atque imbecillitas vasorum,  
 non multum momenti habere ex eo perspicitur, quod  
 non ideo humores purgantur in purgationibus nimis,  
 quia non retinentur à venis, sed quia vis medicamenti  
 hausti, non desinit irritare ac pungere. Quis credat oscu-  
 lis venarum ad intestina pertinentium debilitatis, venas  
 post hepar sitas debiles etiã esse? Quocirca si imbecilli-  
 tas illarum venarum aliquid confert, hoc tantum confert,  
 ut facilius ea vacuentur, quæ citra hepar in illis continen-  
 tur. Possunt enim quæ post hepar sunt, egregie interim  
 esse valide & robuste: nisi credamus, venarum portæ oscu-  
 lis debilitatis, omnes totius corporis venas sic simul debili-  
 tari, ut continere humores amplius nequeant. At hoc ni-  
 mis cogitetur absurdè. Quod de venarum reclusis oscu-  
 lis dicitur, minus etiã habet roboris, ac probabilitatis.  
 Etenim in homine viuentè hæ ipsæ venæ, semper ita pa-  
 rent, ut singulis propè momentis humores prorsum re-  
 trorsumque ferri possint. Vix enim vlla est hora, quin ali-  
 qui succi, & quidè crassi quoque, vel ab hepate ad intesti-  
 na, vel ab his ad iecur, per dictas venas mesenterij ac por-  
 tæ deferantur. Proinde non video quid magnopere iu-  
 uet ad nimiam purgationem osculorum ista in his venis la-  
 xari. Neque sequitur, omnes etiã post hepar sitas venas  
 laxari, quia quæ citra ipsum positæ sunt, oscula habent la-  
 xata & reclusa. Non nego quidè ad *περηλάδαρσιν*, aliquid  
 etiã hæc duo facere: scilicet venarum ad ventriculum & in-  
 testina exporrectarum imbecillitatem, & osculorum earundè  
 reclusionem, sed præcipuas esse nimie purgationis cau-  
 sas, pernego. Quod cum facio, à Galeni mente non rece-  
 do. Sic enim is scribit cap. 28. supra citati libri. *Ἡρκει μὲν  
 πρὸ ἰσως καὶ ἡ δὴξίς μέγιστα, πρὸς τῶν ἐκκρίσιν ἐπεγείρειν τὰ ὄργανα  
 ναυαλῶν δὴ μᾶλλον ὅτι ἀν' ἀνασώματος ἅμα καὶ ἀρρώστια*

*Imbecillitas  
 venarum me-  
 senterij non  
 est causa ni-  
 mie pur-  
 gationis.*

*Reclusio o-  
 sculorum si-  
 militer non  
 est causa.*



Causa ni-  
mie pur-  
gat. praci-  
pua, est per  
seuerans  
mordica-  
tio.

τῶν ἀγείων σιωδράμη. His sanè verbis Galenus τῶν ὑπερκαθάρσεων (superpurgationes vocare nunc solemus) præcipuam causam docet esse διήξιν μένσων, hoc est, perseverantem & continuatam mordicationem. Cæteras duas causas aliquid etiam facere non negat, sed easdem tamen ab ista molesta medicamenti punitione nasci credidit. Sic enim mox de vasorum apertione primum, deinde verò etiã de imbecillitate scribit. Γίνεται δὲ ἡ μὲν ἀνασώσις, ὡς εἶρηται, διὰ τὴν ἰσχὺν τῶν φαρμάκων, διὴν ὑπερκαθάρσιν ἢ διήξιν. ἡ δὲ τῶν ἀγείων ἀρρώστια, διὰ τὸν σφόδρον κάματον, ὃν ἐν τῷ διακνεδαίτε καὶ οἷον βλάλλεσθαι πρὸς τὸ καθαίρονται φαρμάκων γίνεσθαι συμβαίνει. Ad hanc causam addit intemperiem, quam eas recipere à nimia vacuatione probabile videtur. Ergo si vasorum reclusio ab eadem fit causa, à qua fit mordicatio, imbecillitas autem propter laborem, quem ex mordicatione ac veluti emulsione percipiunt, nascitur, manifestò patet, eum præcipuam causam τῶν ὑπερκαθάρσεων in mordicatione medicamenti collocare. Nam quod de emul-

Purgantia  
nō purgant  
emulgēdo.

sione additur, de eo maximè dubitatur. Proinde cùm probata ab eo nusquam fuerit, parum ea nos mouere debet. His hoc modo expositis, haud fuerit difficile iudicare, purgantia medicamenta absq; vi illa tractrice idonea esse, vt corpus purgēt: uidelicet rodēdo, mordendo, stimulando, ac pungēdo: siue hoc acrimonia & extersione, siue alia qualitate inimica præstent. Etenim si hoc modo agendo cogere possunt naturam, vt vitia expellat, quomodo non ab initio efficiant eadem ratione, vt noxia & aliquo pacto molesta sibi deponat? Argumentum videtur certè minimè leue aut contemnendum. Quippe noxia sæpe numero per se ipsam efficit natura: innoxia non nisi coacta & vehementer perturbata excernit. At illud medicamenta nota præstare possunt qualitate. Quomodo ergo non magis hoc præstent

Pharmaca  
mordendo  
nimiam ef-  
ficiunt pur-  
gat. Ergo  
eadē ratio-  
ne simp.  
purgatio-  
nem effi-  
ciunt.

stent? Si quàm maximè trahendi potentiam certi humoris haberent, tamen illo humore vacuato frustra traherent: dum non adest quod tractioni obediat. Certè magnes ferrum iuxta plumbum & aurum positum attrahit: & dum illud ad se pertrahit, his molestus non est. Sic absynthium iuxta lactucam satum, humorem sibi conuenientem ad se allicit, succum eum, qui lactucæ congruit, non commouet. Quare si ita trahunt purgantia, post vacuatum suum humorem, sine cuiusquam humoris aut partis incommodo deinceps trahent. Quicquid igitur postea fit, huius causa in rationem, & vim mordacem medicamenti à Galeno quoque refertur. Quare si sola mordicatio in nimia purgatione potest efficere, vt humor quilibet vacuetur, quomodo non eadem purgationes efficiat sola mox à principio, cùm corpus inutilibus humoribus refertum est? Equidem valde multa medicamenta ab authoribus inter verè purgantia connumerata, haud aliter, vel ipso Galeno teste, purgant, quàm quia naturæ vim ac dolorem inferunt. Quod cur non possit atq; etiam debeat locum habere in cæteris omnibus, ipse certè nondum videre potui: præsertim cùm nullum in natura similis tractionis exstet exemplum aliud, sicut supra monstrauius. Fidem etiam præclare facit, quod omnes naturæ excretiones, haud aliter, vel ab alia causa, fiunt. Quod si natura potest à cibo aliquo ingrato & molesto, sine virtute illa tractrice impelli, vt impetu quodam noxia ex corpore extrudat, quomodo non idem posse credenda tunc est, cùm à medicamento irritatur? Certè Galenus id eam posse, atq; etiam facere, non credibile modò putauit, sed plane sibi credidit, quando librum de optima secta conscripsit. Eum locum quia ad præsentem disputationem præclare facit, totum adscribam. Cum in cap. 40. osten-

*Si trahendo purgantia pharmaca, nulla fiet nimia purgatio: quæ alienus humor vacuetur.*

*Excretiones naturales omnes absque tractione fiunt.*



Locus Galeni ex lib. de opt. secta explicatur.

Cur purgationibus circa principium morborum non utendū sit.

disset, tempora non indicare, quoniam remediorum usum aliquando prohibeant: & exemplo imbecillarū virium vacuationē prohibentium propositum confirmasset illustrassetq; ac Aphor. Hipp. 29. Sect. 2. Inchoantibus morbis, &c. obijci posse cerneret, ita præoccupās respondet: Hippocratem non ratione temporis præcipisse inter initia vacuare, & in statu quiescere: sed propter vires, quæ sub principiū morbi consent, vacuationemq; tolerant: in statu autē non tolerant: ut quæ à vi morbi iam debilitatę fuerint. Talia namq; medicamenta sine perturbatione & noxa nunquā vsurpari. Primum quidem, quia præter naturā sint, & facultatē necessariō vexent adhibita: deinde quia morbificis causis familiarē aliquid semper sit permistū, quod simul cum ablatio ne causarū uacuari sit necesse. Post hæc cap. 41. hæc addit. *περὶ τῶν ἢ δὲ τῶν φύσιν τῶν βοηθημάτων, καὶ τῶν χρεῖων, ἢ παρῆχεται, μὴ ἀγνοεῖν τὰ γὰρ βοηθήματα καθ' αὐτὰ, ἔχ' οἷα ἐστὶν πρὸς εἶδῶν, τῶν τῶν αἰτιῶν ἀναίρεσιν: δεῖται ἢ σωεργαζέσθαι τῆς φύσεως: καὶ σχεδὸν μόνον τῶν ἀφορμῶν, καὶ τῶν ἀρχῶν τῆς φύσεως ἐκδίδωσι: τὰ ἢ λοιπὰ ἢ φύσις δι' εαυτὴν ἐκτελεῖ. ἰσχυρὰ μὲν ἐν ὑπάρχουσα, καὶ τῶν βοηθημάτων κακείας ἀπέχεται: καὶ τῶν οἰκείων περιαιρέσιν δι' ὀφθαλμοῦ φέρει: καὶ τὰ λυπῶντα αὐτῶν ἐξωθεῖν δυνάται: δλιβομένη ἢ ὅπερ συμβαίνει κατὰ τὰς ἀκμὰς, μάλιστα, ὑπὸ τῶν προσαγομένων βοηθημάτων μᾶλλον κακῶται: καὶ διὰ τῶν ἐκείνων περιαιρέσεως ἀσθενεστέρα γίνονται, καὶ ὑποπίπτει μᾶλλον τοῖς αἰτίοις: καὶ ἐξωθεῖν τὰ νοσάζοντα κατ' ἐδένα δυνάται πρόπον. ὅταν ἢ φύσις ἐνταθεῖσα, τὰ λυπῶντα ἐξῶσαι μὴ δυναθῆ, μεγάλως ὑπὸ αὐτῆς ἐκτάσεως ἐκλύεται.* Ex his Galeni verbis manifestè patet, purgationem non à tractione medicamento, sed à sola natura expellente (cum à medicamento irritata solum est,) fieri. Et propè solam occasionem seu initium, inquit, naturæ inferunt: irritando nimirum. Reliqua per se ipsam natura ἐκτελεῖ hoc

hoc est, perficit, peragit, absoluit. Summa est, actionem hic exturbandi noxia, & cum his etiam aliquid conuenientium, quæ illis sunt permista, soli naturæ attribuit: incitamentum duntaxat pharmaco adscribit. Quapropter ter in sequentibus repetit, naturam expellere aut non expellere, prout valet aut non valet. Nec posse hæc de alijs medicamentis accipi, quàm purgantibus, liquiddè apparet. Primum ex adducto exemplo de prostratis viribus vacuationem non admittentibus. Deinde ex toto sermone: in quo aliquoties, innoxiorum & noxiorum educationis aperte meminit. Hoc ipsum etiam, obiectio Aphor. declarat. Item quod; quod pharmaca hæc omnia præter naturam, seu naturæ inimica esse dicit: quod de nullis alijs intelligi auxilijs vel remedijs potest. Sed clarius ac verius hoc est, quàm vt pluribus à me ostendi debeat. Norandum hic maximè est, quod ait, pharmaca per se non posse causas tollere morborum: sed egerè naturæ auxilio. Indigent autem auxilio naturæ non ad hoc solum, vt de potentia reducantur ad actum, (Hoc enim pusillus calor potest efficere: cum vmbilico imposta hoc à cutis calore beneficiū accipiant. Taceo quod facilius: medicamenta ingesta in actum deducuntur, quàm cibi concoquantur.) sed vt noxia expellat. Hac de causâ turgentes humores ante coctionem vacuare licet: quia natura eos pellere nititur. Non vrgentes mouere prohibemur: ne virtutem expultricem frustra irriteremus. Nam excitata magno conatu eijcere noxia cum frustra tentauit, defatigata exsoluitur: quod postremis verbis Galenus perspicue nobis indicauit. Ex quibus illud etiam perspicimus, cur symptomaticæ purgationes adeo sint plerumque perniciosæ. Nā inter causas alias hæc minimè postrema est, quod naturæ vires in hoc labore vehementer exsoluuntur. Magnes ferrum quod trahere potest, nullo pellente trahit. Si consimili potestate purgā-

*Gal. de purgantibus loquitur.*

*Purgantia per se non educunt inuertia.*

*Turgentes cur ante coctionem liceat vacuare.*

*Cur symptomaticæ purgationes male sint.*



Pharmaca  
in stupore  
nō purgāt:  
etiā si à ca  
lore in actū  
deducātur.  
Author li  
bri de renū  
affectibus  
idē docuit.

tia humores trahunt, nature expellentis opera opus nō habent. At hac non propellente nullo vnquam tempore vacuant: etiā si actum à calore acceperint. Argumento est euidentissimo, quod in stupore frustra & foris imponuntur, & intra corpus deglutienda proponuntur: etiā si calor adsit tantus, qui etiā cibos cōcoquere possit. Medicamenta igitur, vt Galenus affirmat *μόνον τῆν ἀφορισμὴν, καὶ τὴν ἀρχὴν ἐν δίδωσι τῇ φύσει*: hoc est, virtutē expultricem duntaxat suscitant. Galeni mentem præclare perspexisse videtur author de renū affectibus dignoscendis & curandis (quisquis ille fuerit) cū cap. 4. (secundum partitionem interpretis) sic scriptum reliquit.

Ἰδὲ περὶ τῆς ἰατρῆς τὸ καθάρσιον: τῆς δὲ φύσεως τὸ πᾶν, αὐτῆ δὲ κεντρῶθεϊσα παρὰ τῆς καθαρσίας, χρήται τῇ διακριτικῇ δυνάμει καὶ διακρίνει ἀπὸ τῶν ἀχρησῶν τὰ χρησά. καὶ τὰ μὲν χρησά τὰ κατέχει ἡ καθεκτικὴ δυνάμις: τὰ δ' ἀχρησά ἀποκρίεται ἡ ἀποκριτικὴ. Apertius certè loqui nullus potest, quàm hic author locutus est. Medicus offert, inquit, purgans

Hippocrates  
purgationes non  
arbitratur  
tractione  
perfici.

pharmacum: præterea nihil agit. Pharmacum naturam exstimulat: reliqua pendent à natura. Quippe irritata separat inutilia ab vilibus: & hæc quidem retinet, illa verò expellit. Idem Hippocrates etiā credidisse videri potest, de purgantibus pharmacis loquens: vt supra quoque monui. Medicamentum, inquit, aliquando purgat, aliquando non purgat. Est cū alia purgat, quam purgare solet: interdum nimium purgat. Putandum est cibos etiā medicamenta esse: sed minus quàm illa. Etenim qui modum in cibis excedunt, purgantur velut à sinceris medicamentis: verum minus & tardius ob id purgāt, quod familiares nobis sunt & quotidie sumuntur. Clarum igitur est, quod & hi medicamenta existunt. Duorum alterum fateri oportet, vel non purgare pharmaca tractione decantata ex sententia Hippocratis iam recitata, vel alimenta non purgare simili ratione cum purgantibus

gantibus alijs. At hoc affirmat Hippocrates. Quare non credidit per dictam toties tractionem purgare. Quod verò alimenta nonnunquã aluum turbent, notius est, quã ut inficiari aliquis ausit. Quod virtute trahendi illa succos ex corpore careant, extra controuersiam conceditur à cunctis, puto. Etenim trahuntur alimenta, non trahunt. Quod discrimen inter purgationẽ, quæ à cibis fit ingestis, & quam alia purgantia efficiunt, nullam ponat Hippocrates in hoc loco aliam, quàm maioris & minoris, ex verbis eius manifestè patet. Si non semper alimenta purgare obijcies: nec alia purgantia semper purgare respondebit. Si nõ eosdem à cibis humores vacuari contendas: idem hoc in purgantibus reliquis vsuuenire dicet. Si rarissimè purgare cibos excipias: ob id acciderè affirmabit, quod quàm medicamenta alia familiariora nobis sint: succi utilis plus contineant: quodq; eis magis assueuerimus. Quocirca non debemus putare, Hippocratẽ de Galeni tractione cogitasse, cum aliquando dixit purgantia trahere, ἔλκειν. Quippe sic fermè iudicauit excrementa trahere, quomodo diuretica dicimus vrinam ciere: & quomodo acria & calida medicamina trahere ad se aliquid dicimus. Si sic de purgatrice facultate loquamur, perfacile causam assignabimus, quod Agaricus, nisi in trochiscos redactus sit, non semper turè sumitur. Adhærent enim nonnunquam intestinalis particulæ quædam, quæ mordendo molestiam pariunt: & ad purgationes excitant. Illustre illius rei exemplum habetur apud Gal. 14. Meth. cap. 7. in eo, qui scammonio purgatus fuerat: & dolore colico se postea laborare opinabatur. Quis credat tantam particulam phar-maci, quantula relicta in intestinis fuerat, trahere aliquid potuisse? Irritare ac dolorem efficere potuit, virtute trahente in tantula quantitate nihil potuit. Quomiam vincere ea corpus oportet, antequam ex venis ad

*Alimenta  
ut trahendi  
instar pur-  
gantium ca-  
rent.*

*Quomodo  
Hippocra-  
tes purgan-  
tia dixerit  
trahere.*

*Cur agari-  
cus parũ tu-  
tè sumatur,  
nisi in tro-  
chiscos re-  
dactus sit.*



*Cur nõ om-  
nia purgēt,  
quæ mole-  
stia creant.*

*Cur in crisi  
laboriosior  
sit purga-  
tio, quàm  
cum haustu  
est pharma-  
cum.*

*Cur purgã-  
tia exactè  
teri non de-  
beant.*

se pertrahant aliquid: vt pleriq; omnes non sine ratio-  
ne asseruerunt. Quod autẽ non similiter purgãt quæ-  
cunq; dolorem generãt, tum alia, tum locus facit. Nam  
quæ alio in loco, quàm in venarum osculis irritant ac  
pungunt corporis partes, nõ ita facilè purgationes mo-  
liuntur: nisi corpus plenum sit malis humoribus. Cùm  
autem aut purum est, aut humores nequit propter co-  
rum lentorem, crassitiem, similesq; causas commoue-  
re, non turbatur talibus venter tam facilè, quàm à me-  
dicamentis valide purgantibus soluitur. Ex quo intel-  
ligi causa potest, cur in crisi maiore cum labore exsolua-  
tur, quàm cùm per os sumptum est pharmacum. Hinc  
quoq; fit, vt interdum ipsas quoque venas stimulantia  
pharmaca ( nisi prorsus naturæ inimicam habeãt quali-  
tatem absq; vllius succi familiaris permistione) vel ni-  
hil omninò, vel certè leuiter purgēt. Et quæ vtilem suc-  
cum continent, ea corpore puro existente, aliterantur  
& in venas distributa vrinas potius cient, quàm aluum  
cõturbent. Hac de causa Galenus prudẽter admonuit,  
vt eiusmodi medicamenta non exquisitè terantur, sed  
crassiuscula proponantur, vt videlicet diutius ventris  
venas vellicent, & propter crassitudinem partium non  
promptè distribuantur: sicq; vrinas commoueant. Lu-  
culentè hanc rem exposuit lib. de Tuenda sanit. 4. cap.  
7. Diospolitici pulueris exemplo. In Rhabarbaro conti-  
git hoc etiam mihi aliquando. Nec ob aliam causam,  
puto, vetuit Mesues, pharmaca rara & laxa exactè tere-  
re, inq; tenuissimum puluerem redigere, quoties purga-  
ri corpus volumus. Fortasse Catapotia in tã parua quã-  
titate ac pondere sic etiam strenuius purgant, quia con-  
globata exhibẽtur, atq; validius stimulant. Sanè lapido-  
sa medicamenta, quæ virtute purgandi prædita sunt, vt  
quæ nec benignum succum habeant, nec superari alte-  
rariq; à calore nostro possint, validissimè plerunq; illos  
purgant,

purgant, qui ea deuorarūt. Sic in illis quoq; res habet, quæ ab occulta illa materiæ proprietate purgant. Hæc enim etiam si subtiliter & super cotem exactissimè leuigata sint, semper tamen naturæ sunt molesta: & proinde reijciuntur, ac si vehementissimè morderent. Satis iam est ostensum, puto, ex purgatorijs medicamētis aliqua ista potissimum ratione purgare, quod naturam, (acrimonia & mordacitate sua partes mordentia & purgantia) ad expulsionem noxiorum excitant. Ex quo nō sine causa statuendū viderur, etiam alia illa, quæ ab occulta vi purgare dicuntur, absq; tractione purgare. Non enim intelligo, cur in excogitanda tractione, quæ nulla possit ratione demonstrari, nulloque exemplo declarari, occupemur diu: cū absque hac natura possit noxia depellere: atque id etiam frequentissimè, cum per se ipsam, tum à pharmacis irritata, faciat. In plantis necessariam fuisse libenter confitebor: in medicamentis cur esse oportuerit nondum perspicio. Etenim plantas trahere oportebat succos naturæ suæ congruentes, qui nec ipsi per se moueri solerent: nec à terra, in qua inessent, ad singulas plantas amandari possent. Humorū corpōis nostri longissimè alia ratio est. Etsi enim ipsi sua sponte non mouentur, à natura tamen, cūm valet, ac impedita nō est, facillè ad loca conuenientia suo tempore depelluntur. Quod si officium negligat aliquādo, sunt quæ eam muneris sui admoneant: & ad agendum prouocent. Quod si pharmaca purgantia, quæ plantarum instar trahere possent, existerent, plus ex eo incommodi, quàm commodi ad nos semper rediret. Sapius enim traheretur ex sanguinis massa, quod relinqui prestitisset. Nunc cūm irritatur solum natura, quouis tempore expellit, quæ expellere potest: ac vtilia sibi ad extremum vsque conseruat. Quippe non semper cūm expultrix agit, retentrix munus suum deserit: cūm natura va-

*Occulta vi purgantia sine tractione purgāt.*

*Trahēdi vis in viuētib; cur necessaria sit.*

*Expultrice agente Retentrix non semper ferriatur.*



let. Imò quò maiore nixu expultrix excitata depellere aliquid contendit, eò validius retentrix, cùm debilitata non est, vtilia retinet: vt sola inutilia efficiantur, seruatis vtilibus. Quod si quærat, quomodo natura à phar-  
 macis excitata noxia efficiat, etiam si non sit facilis respon-  
 sio, facilius tamen est, quàm si tractionis modum explicare iubeamur. Nam similitudo substantiarum, quam pro causa Galenus attulit, nec olim probata doctis fuit: nec hodie locum apud eruditiores inuenit. Plura namq; absurda ad eam sequuntur, quàm credere vllus possit: qui non accurate ac sæpe de his cogitauit. Ergo vt exactè non valeamus exponere modum, quomodo expultrix facultas, cum à re reliqua, præsertim verò à pharmaco irritata est, noxios ex corpore humores efficiat, exemplis tamen (& quod ita faciat: & quomodo faciat) aliqua saltem ex parte declarare possumus. Ante omnia meminerimus sternutationis. Cùm quid intra nares mordicans & pungens continetur, quod expultricem vim cerebri possit suscitare, exsurgit illa, impetuq; maximo elidere conatur, quæ nares vellicant. Quid igitur mirabimur, si partes circa hepar, mesenterium, intestina, ab humore acrimonia sua venarum oscula exstimulante exagitata simili quodam conatu velint molestiam inferentia repellere? Discrimen in eo solo ferè est, quod cerebrum non continenter ita mouetur, sed humore irritante excusso plerumq; quiescit: reliqui autem corporis expultrix facultas semel excitata sæpe longiore tempore agit. Post sternutationem, singultum, & similes casus, vomitum consideremus. Per hunc siue spontè acciderit, siue à vomitorio pharmaco excitatus fuerit, totum aliquando corpus purgatum constat. Sanè antiqui haud inrequenter per vomitum corpus vacuasse videntur, quàm per inferioris ventris solutionem: quod Gal. in com. in libellum de salubri diæta in expositione 15. sententiæ palam affirmat.

Quo expultrix virtus modo noxia expellat.

Sternutationis exemplum.

Singultus exemplum.

Exemplum vomitus.

Veteres crebro vomebant.

manit. Et qui elleborum album ægris propinauit, testifi-  
 cari poterunt, euacuari nonnunquam humores longè  
 plures, quàm vt in vētriculo collecti hæere potuerint.  
 Atq; vacuat nō alia ratione, quàm quia insigni sua acri-  
 monia naturæ inimicus est: vtilisq; succi vel nihil om-  
 ninò, vel prorsus minimū, in se continet. Vnde cū pri-  
 mū in ventre calefactus est, atq; is medicamentū adeò  
 malignum percepit, exsurgit ad ipsius expulsionem: &  
 cum eo simul, quæcunq; ibidē hærent, eijcit. In hoc mo-  
 tu vētriculi, quis mireretur, si & vicinæ partes cōmouean-  
 tur, similiq; modo redūdātes suos humores à se ad inte-  
 stina & ventriculum protrudant? Quod cū fit, minus  
 mirum est, si ventriculus iā ante excitatus recens appul-  
 sum succū inutilem eadem vi expellat. Ciet autē vomit-  
 um album veratrum potius quàm nigrū, quia vapores  
 ex se tenues & acres, os ventriculi erodentes, fundit ma-  
 gis quàm nigrū. Intelligi hoc ex eo potest, quod narib.  
 admotū (si leniter sit rritū) sternutationes longè poten-  
 tius mouet nigro. Idem nos docuit vsus Antimonij: cu-  
 ius violentia seu inimica qualitate adeò incitatur ven-  
 triculus, vt non absq; periculo conetur, quicquid in eo  
 est, aut ad ipsum affluit exturbare. Et ne fortè putes à vir-  
 tute tractrice quadā, ista sic, vt diximus, prouenire, scien-  
 dum est, vomitum similiter ab alijs moueri, in quibus  
 vim talem inesse nullus crediderit. Sæpenumero oleū  
 & aquam mista exhibemus: item decoctum raphani &  
 anethi cū aceto, & huius generis omninò plurima.  
 Ab omnib. istis interdū totum corpus purgatur. Addere  
 his potes antimoniū (quo vix est aliud violentius post  
 præcipitatum) quod tractrice illa vi donatū à nemine  
 docto adhuc affirmatū obseruauit. Quis est qui nesciat  
 certos homines, cū vel curru vehūtur vel nauī, inter-  
 dū ab agitatione illa ad vomendū vehementissimè inci-  
 tari, vt totum corpus inde aliquando purgetur? Qui in

Cur al-  
 bum potius  
 quàm ni-  
 grum vera-  
 trum vomī-  
 tum cieat.

Vomitum  
 strenuè mo-  
 uent virtu-  
 te omni tra-  
 hendi carē-  
 tia.



mari aliquando fuerūt, non ignorant verum esse, quod dico. Sed & Hippoc. præclare sciuit, cū in Aphorif. eos moueri vult, qui elleboro sumpto non satis citò & bene purgantur. Et vt motum adiuuare purgationem mō fret, nauigationis exemplum adducit. Vide 4. Aphorif. 14. & 15. Nunc cætera sinam, quæ dici à me possent hoc loco: atq; vnum adhuc addam, quod verum esse certò scio. Fuerunt qui febribus diuturnis laborarunt, atq; certos cibos vehementer appetuerunt. His cū se saturassent, imò cum ventriculum impleuissent adeò, vt molem ferre nequiret, excitata virtus expultrix nō modò cibos grauantēs, verum etiam purulentum & putridum humorem per vomitum extrusit. Vnde illi sani facti sunt subitò: & præter omnem spem atq; etiam expectationem suam. Hoc ab alijs cibis video non esse factum: quia non in copia tanta eos sumpserunt. Illis tantum sic excitantur, quos auidissimè appetunt: & largissimè peredūt: vt qui copia molesti esse possint. Profunt autem hoc sumpti modo tunc solum, cū morbus est concoctus. Nam qui ab initio id ausi facere fuerunt, grauius sunt læsi. Noui qui hoc modo suffocatus repente exstingueretur. Amicus quidā meus studiosus, postquam multis mensibus quartana laborasset, ac vehementissimè limpidissimi fontis pellucidā & frigidam aquā desiderasset, tandemq; nemine obseruante eadem ventriculum nō impleuisset modò, sed ferè inferuisset, post copiosum vomitum sanus est factus. Neq; verò est, cur hic aliquis quærat tractricem aut purgatricem facultatem in talibus. Etenim de illis loquor cibis & potibus, quibus per sanitatē iucundè fuerant vsi: quibus in morbo quoq; vti voluissent, si nō prohibiti fuissent. Quàm multos scimus hoc modo vino, quod clām custodiibus suis liberalius epotarunt, subitò cōualuisse? Omnes vomitu reiecerunt, non modò quæ paulò antè vel ederāt

Quomodo  
quidā à diu  
turnis febr  
ibus liberati  
fuerint.

Historia  
Quartana  
rij.

vel biberant, verum etiam cum his putridos humores omninò plurimos. Profectò si quis hoc tempore tales medicamento purgauisset validius irritante, non minus feliciter liberasset: etiam si ex eorù genere nò fuissent, quæ trahendo purgare videntur. Quisquis methodo curauit ægotantes, non potuit non similia exempla vidisse. Sed quid est his opus exemplis? Nò apud Galenum legimus (& in Italia quotidie æstatis tempore videmus?) plurimos ardentibus febribus laborantes, ex liberalissimo aquæ frigidissimæ potu, à febre hoc modo liberari? Non modo vidi, sed etiam author nonnullis fui, vt ita facerent. Ex omnibus, quibus iussi, ne vnus quidem non est per vomitum largæ bilis flauæ & putridæ: vel per copiosum sudorem: vel per vtramq; vacationem liberatus. Oportet autem tunc iubere, cum apparet in vrinis coctio: & natura vicisse aliquo modo morbi causam cernitur. Non succedet tamen res, nisi multam omninò bibant: tantam scilicet quæ oneri & molestiæ esse queat. Vt hic ventriculum subuertentia totum corpus purgant, sic medicamenta in intestinis hærentia: & oscula venarum, quæ huc pertinent, quomodocunq; irritantia & vellicantia, faciliè perficiunt, vt natura, quicquid expelli idoneum est, expellat. Idem hoc plerisq; accidit, tum sanis tum ægris, cum ad cibum aliquem siue potum coguntur: quem vel natura vel alia de causa fastidiunt. Aliqui nauseam percipiunt, cum vel nominari tale quippiam audiunt. Et quidam ex his ventrem sibi turbari sentiunt. Quæ quia sunt vulgò nota, & quotidie obseruari à quouis possunt, non videntur verbosiore vel declaratione vel ostensione egere. Quotidie experimur naturales quasdam potestates à leui causa excitas, postea validius agere. Sic non est mirum excreticem facultatem, ab aliqua re leuiter concitatam, postea maiore vi agere: atq; non modo irritan-

*Ardentem  
febrem quo  
pacto frigi-  
da copio-  
sius hausta  
extinguat.*

*Virtus natu-  
ralis à le-  
ui causa ex-  
citata, sepe  
validissimè  
agit.*



*Similitudo  
inter vomit  
torium &  
humorē re  
iectum nul  
la est.*

*Aristoteles  
ignorauit  
tractricem  
purgantiū  
facultatem.  
Causa pur  
gationis ab  
Aristotele  
recitata.*

tem rem, sed alia præterea plurima ex corpore eijcere. Nō refert autem hoc loco, siue natura cibum aliquem oderint, siue propter morbū fastidire cœperint. Erenim semper hoc nihilominus erit verum, absq; tractione aliqua tali, qualis in purgantibus inesse creditur, purgationes ab ipsis tūc fieri propter molestiam, quā naturę inferunt. Nulla nanq; tractrix potestas, in talibus fingi potest. Multò minus potest similitudo aliqua trahēs cum humore trahendo cogitari in illis cibus inesse, à quibus aliquorum naturæ priuatim abhorrent. Quippe minus oporteret eam à bile, exempli gratia, abhorrere: quam tamen facile fert, quantisper nō reddita est effraenis & molesta. Ergo quemadmodum tales cibi propter naturę peculiarem proprietatem, vndecunq; ea exorta & nata fuerit, molestiam adferunt, (atq; hoc p̄ se & ad excretionē prouocant) sic etiam medicamenta purgantia cogites licet ad expulsionē inutiliū eandem lacessere & irritare. Ex quo pulchrè intelligi potest, ne hic quidem esse tantam obscuritatem, quanta est in contraria opinione: & hic multò magis cōgruere inter se omnia, quàm ibi. Sunt enim permultæ prorsus inexplicabiles difficultates in ista tractione & similitudine trahentiū & tractorū. Concordat præterea cum sententia nostra potius, quàm cū altera, tum Aristotelis opinio, tum experientia: quæ de hac re haberi potuit. Equidem Aristotelis ætate non videtur nota fuisse hæc facultas tractrix humorū in medicamentis purgantibus. Poteris legere 1 quæ hac de re scripsit in 1. Sect. probl. vbi purgationis 2 causas refert in medicamentorū contumaciam, qua ca 3 lori naturali resistunt adeò, vt vinci nequeant: in odo 4 rem virosam & grauem: in caliditatem conturban- tem: ac flatum naturę molestos ab ipsis generatos. (Quę de distributione horum in venas ibidem narrat, ratio- ni simul atque experientiæ, vt Medicorum authorita- tem

tem præteream, contradicunt.) Nullus dubitat, quin accuratè ac diligenter hic vir perlegerit Hipp. monumenta: ut cuius verba non uno in loco recitet. Quod si de tractatione ista quidpiam apud Hipp. legit, haud probavit. Probabilius dicemus tale eum apud hunc nihil reperisse in legitimis ipsius operibus: aut aliter, quam nos solemus accepisse. De Asclepiadis, Erasistrati, atque aliorum sententia qui Galenum antecesserunt, parum nobis constat. Si id senserunt, quod eos Galenus sensisse scripsit, erraverunt certe. Sin alia fuit eorum mens, minus fortasse à Galeno rectè reprehensi sunt. Ego de ignotis mihi iudicare nolo. Hoc satis est, quod constat eos talè tractionè non admisisse. Quod si hoc censuerunt, quod Aristoteli placuisse videtur, hausta huiusmodi medicamenta ingenita quadam cõtumacia naturam extimulare ad expulsionem noxarum huiusmodi, qui tempore quovis in corpore redundat, non prorsus videntur à scopo aberrasse. Neque difficile eis fuerit ad argumenta Gal. respondere. Si alia eorum fuit opinio à veritate aliena, defendi eos à nemine debere iudico. Scio non deesse qui eorum sententiam commodius interpretantur. Ego, ut iam dicebam, de rebus mihi non satis cognitis, non audeo certi aliquid pronunciare. Plus firmitati ac roboris illud habere videtur, quod cum nostra sententia pulcherrimè congruit, quæcumque hæc de re legimus. Etenim ratio hinc patet, cur nonnulli ad mentionem & cogitationem solam, (aliquando verò ad conspectum) horum pharmacorum nauseant, vomant, purgantur. Qui tractionem ponunt, in tractione nihil reperiunt præsidij. Nobiscum fatèri coguntur, cogitationem à specie ingrata commotam, virtutem expultricem incitare, ut noxia ex corpore exturbet. Quod si igitur imaginatio id potest, quomodo non ipsa magis efficiat idem medicamenta irritantia? Huc referenda sunt plurima ex illis, quæ supra de ægris atque sanis expo-

Sententia  
Asclepiadis, & Erasistrati de  
tractione  
purgantium.

Congruunt  
cum sententia nostra  
quæcumque  
contingere  
solent.



*Natura nõ  
trahẽdo sed  
pellẽdo pur  
gat.*

*Odore pur  
gantium so  
lo quidam  
purgantur.  
Poma pur  
gatoria.  
Historia ve  
ra.*

*Quomodo  
odore qua  
dam solo al  
num tur  
bent.*

sita nobis fuerunt. Præterea quæ de naturalibus vacua  
tionibus commemorauimus. Conuenit sanè, vt Medi  
cus, qui naturæ minister est, naturam imitetur. Non e  
nim facere hic aliquid iubetur, quod non præstare sæpe  
ipsa solita sit. Quocirca si ita purgationes procuret, si  
cut naturam eas perficere per se ipsam interdum cerni  
mus, præclarè suo muneri satisfecit. At illa non trahen  
do, sed expellendo purgat: à re præter naturam stimula  
ta. Quare medicamento excitauisse eam satis fuerit.  
Scriptum est à nonnullis, reperiri certos homines qui  
odore tetro purgantium non instrenuè sæpenumerò  
purgantur. Hac de causa celebres quidam Medici pilas  
seu poma purgatoria descripserunt. Fuisse quoq; ferun  
tur, qui à medicamentis, quæ in manibus gestauissent,  
purgati fuerint. Equidem hoc dicere possum, nouisse  
me honestissimã matronam, quæ ex odore talium phar  
macorum præclarè purgetur. Ea si in pharmacopolio  
aliquantis per moretur, mox aluum sibi turbari sentit.  
Eadem si marito purgatoriam potionem calefaciat of  
feratq; nõ minus aliquando purgatur ipso marito, qui  
potum hausit. Ex syrupo Rosarum solutio si cochlear  
vnum aut paulò amplius deglutiat, supra quàm credi  
potest perturbatur ei aluus: vt nonnunquam etiam per  
superiora plurimum pituitæ bilisq; reijciat. Nescio an  
hic aliquis in odore virtutem tractricem cõminisci ve  
lit audeatq; Ad cerebrum, in quod recipiuntur, aut ad  
manus pertrahi ex corpore tunc humores oporteret.  
Longè verisimilius nos dicimus, tetrum ac virosum o  
dorem perceptum rationi indicare, totum hoc ingrati  
odoris substitutum naturæ inimicum existere. Quo fa  
cto mirum nõ est, si expultrix virtus rationis indicium  
secuta excitetur: & ad expulsionem noxi se accingat  
atq; sic quæcunq; educationi idonea reperit, mox effice  
re tentet: etiam si attractione nulla adiuuetur. Hinc  
etiam

etiam patet, cur quidam à certis cibis, quibus pleriq; alij iucundissimè vtuntur, validissimè purgentur. Neq; puto, facultatē habent istam traëtricē in se absconditā: quæ tunc prodeat suasq; vires exerat, cū tales eos sumunt: tunc autem altè dormitet, cū alij eosdem vsurpant. Causa talis est. Si tales cibi hanc traëtricem facultatem, comparatione quorundam haberent, non possent principio trahere, mox verò nihil trahere: sed alere. At, qui tales prius non erant, cū primum eos fastidire aliquis cœpit, tales fiunt: & qui tales erant, cū eos fastidire desinunt, quibus abominabiles paulò antè visi sunt, tales non sunt amplius. Cur ergo, dices tam strenuè commouent exagitantq; corpus? Quoniam eiusmodi cibi cū vel natura, vel propter accidens aliquibus redditi sunt odiosi, quotiēs sumuntur à scientibus, atq; intellectus noxios adeoq; pellendos esse iudicat, paret appetitus, eosq; totis à se viribus depellit. Quippe certo certius est, sumi aliquando tales cibos ab ignorantibus, eosdemq; sic nō lædi: quos, si quidem scientes edissent, retinere non potuissent. Per iocum vidi carnes felium, & vulpium, atq; etiam luporum aliquibus proponi: & quosdam illorum, vbi rescuissent, grauius ab eisdem fuisse purgatos. Qui natura magis quàm opinione certos cibos odio habent, illi siue scientes siue nescientes comederint, ab eis semper ita ferè afficiuntur, quemadmodum affici tum ipsi tum alij solent; cū fœdi odoris medicamenta deuorarunt. Iam quia cogitare aliquis poterat virtutem traëtricem in illis cibis esse, si quidem talibus compararentur, qui talibus ali quando citra noxam vsi sunt: postea autem non amplius vsurpare edereq; potuerūt. In presentia enim illam sententiam non statui operosius confutare: vt pote quam sciam nulli docto probari. Non enim quic-

*Cibi ijdem non muta- ta natura aliquos nūc purgant, mox non purgāt amplius.*

*Ludus aulicorum.*



*Non quicquid alienū est, trahere certum humorem potest.* quid alienum est, statim vim certi alicuius humoris attrahendi nactum fuit. Scio ego exempla (pauci puto) reperientur, qui non similia possint recitare) certorum hominum, qui fastidire aliquos cibos ideo coeperunt, quod sæpè eos coacti sunt contra suam voluntatem edere. Hi cū principio non inuiti eos ederent, postea edere non facile vnquam potuerunt scientes, quin vel reuomere cogerentur vel alio citata vacuarentur. Ediuerso vidi, qui ex ouillarum carniū esu per vomitum & per aluum periculosè purgarentur: idque non semel tantum sed sæpius accidisse diuersis memini & scio. At isdem vbi in militia præinopia edere cogerentur, sine incommodo postea ederunt: quemadmodum alios citra noxam à principio edisse constat. Nullus, puto, sic censebit concludetq;: ex ingratis redditi sunt grati, & contra, ex gratis redditi sunt ingrati: Ergo virtutem tractricem certi humoris vel adepti sunt: vel, cū possedissent, amiserunt. Possunt enim ingrata nobis grata fieri propter consuetudinem & societatem siue crebrum vsum: quod nonnullis accidisse scio. At naturam illam suam mutare, nouamq; induere non possunt. Inò tunc, quia corpori & humoribus sunt simillimi, purgare nullo modo debent. Etenim cum longo tempore certo aliquo cibo vescuntur homines, ideoq; fastidire eum incipiunt, certū est tum humores maxima sui parte inde genitos, tum partes inde nutritas fuisse. Quamobrem frustra hic studeat quis occultam fingere potestatem tractricem: dum constat non ob hanc causam talia purgare, sed ob anteditam: nempe quod natura ab ijs abhorret. Quomodo autem huiusmodi absq; calore mordaci & pungente expultricem virtutem laceffant & prouocent, minus fortasse explicatè dici poterit. Attamen hic etiam modum, si non particulatim & planè, saltem generatim &

*Que propter longū vsum ingrata sunt fastata, purgare minus debent alijs.*

*Quomodo pungente calore destituta purgent.*

& obscure intelligimus. In eo positus est, quod natura aliena sibi reijcit: amica amplexatur. Apparet hoc in pharmacis, ex quorum conspectu & odore, cum præsertim haurienda nobis scimus, toti concutimur, priusquam ea degustauerimus. Et cum ventriculus ea recepit, mox reijcere à se eadem totis viribus plerumque tentat: aliquando nobis etiam frustra repugnantibus excutit. Non hic est opus mordaci qualitate. Quod in alijs præstat qualitas pungens & exstimulans, hoc efficit in his inimica naturæ qualitas: quæ horrorem nobis parit, antequam periculum eius in gustu factum fuerit. Neq; impedit quicquam, puto, ut inimica qualitas consuetudine quadam amica reddatur: si præsertim vtilem succum habeat copiosum vna secum permixtum: quandoquidem venenis assuetos quosdam legimus. Ratio eadem est in alijs quæ raro accidunt. Ad extremum addere & hoc volumus, vix ullum posse problema ex ista tractatione pharmacorum pendens, proponi, quod non commodius ex nostra sententia quam illorum, qui cæcam istam tractationem defendunt, explicetur. Quippe partim ex dictis, partim ex dicendis responsio ad omnia patet: de quibus contendere authores animaduerti. Talia sunt hæc, vt, cum quæritur, cur pharmaca purgantia nonnunquam antè purgationem vertiginem, animi deliquium, tormina, &c. efficiant? cur purgatione procedente desinant eadem hæc accidentia? cur quædam etiam visa solum tantopere purgant? cur non omnia totum corpus purgent? cur quædam in alimentum vertantur? cur per aluum & vomitum semper ferè purgent, cum natura sæpè per sudores, & sanguinis ex naribus effluxum, seipsam exoneret? cur in mortuo corpore, quamuis calefiant plurimum nihil expurgent? cur exiguum & debi-

Ex nostra  
quàm Gal.  
sententia fa-  
cilius soluitur  
tur proble-  
omnia de  
purganti-  
bus.

1  
Problema-  
ta de pur-  
gantibus.

2

3

4

5

6

7

8



le pharmacum aliquando maximam humorū copiam educat: cur quæ odoratur solūm, aut vmbilico imponuntur, per aluum vacuent? cur pharmaci quantitas aucta quemlibet humorē subducatur? & quæ hæc sunt similia. Quàm sit futilis Auerrois responsio, quam ad postremam interrogationem in 5. coll. cap. 21. adfert, poterit vnusquisq; videre ac intelligere, qui cum iudicio hæc legerit. Equidem ne Galenus quidem, vt supra de nimia purgatione declaratum fuit, causas horum in tractione illa nobis ignota quærat. Quocirca probabilior & veritati magis consentanea modis omnibus nostra est sententia, quàm latentem illam potentiam traatricem defendentium opinio. Interrogare hic aliquis possit, qui fiat, quod nec venena, nec alia incoctilia pharmaca purgent, si quidem naturæ aduersaria ponantur purgare? Respondeo primūm ex venenis multa purgare, præsertim mitiora: & quæ non statim in venas penetrant. Quædam enim vel propter partium tenuitatem: vel quia benigni aliquid habent coniunctum: vel ob aliam causam, celeriter per venas vltra hepar ad cor aut cerebrum vsque adscendunt. Reliqua vel aluum mouent: aut vomitum cient: vel vrinas prouocant: vel sudores proliciunt. Quædam ea sunt malignitate prædita, vt partium, quas contingunt, calorem statim extinguant: ac veluti strangulent. Hæc nemo mirabitur non purgare. Ratio consimilis est ferè illorū, quæ celeriter permeant: nisi quod hæc talia videntur à tota substantia non tam ventriculo aduersari, quàm cordi aut cerebro inimica esse. Et si ergo partibus omnibus nocere possint, minor tamen est noxa, quam ventriculo creant, quàm vt inde multum perturbetur. In causa est diuersa partium temperies: propter quam vnaquælibet aptior est parti ab hac re quapiam, quàm ab alia quauis. Sicut enim disse-

*Auerroes  
refellit.*

*Cur venena non purgent.*

*Cur vna pars quàm alie magis à veneno patiatur?*

differunt substantia & temperie, ita læduntur singulæ à reb. quibuslibet facilius aut difficilius. Ita rabiosi carnis salua minus carnes offendit, quàm cerebrū. Ita plurima venena cordi magis, quàm ventriculo perniciofa existunt. Sic Antimonij vitrum ori ventriculi inimicissimum existens, in venas raptum & per corpus distributum imbecillius ac leuius partes reliquas laceffit ac vellicat. Sic veratrum album nigro magis vomitum citat: quia ori ventriculi inimicitius est nigro. Consentit his, quæ diximus, rerum magistra experientia. Etenim venena plurima odore & sapore nos minus offendunt plerisque purgantibus: quorum odor solus facit, vt totum aliquando corpus concutiatur & horrescat. In opio terter & virosus odor cum amaritudine & acrimonia purgatricis potentia signum existunt. Quod non purgat, duo mihi videntur in causa esse. Vnum est vis stupefaciendi: quæ vt ne sentiatur mordicatio efficit: alterum modica eius, quæ exhibetur, quãtitas. Hic accedit, quod plerunque alijs multis vim eius hebetantibus miscetur. Rursus hic videmus, quàm prudenter Aristoteles causas purgationis in *ἀπὸ ψίαν & ὑποωδίας* retulerit. Ergo vt tandem quæstioni huic finem imponamus, cum Galenus suæ sententiæ de tractione argumentum nullum firmum proferre, neq; exemplum in tota natura simile ostendere potuerit: Naturales & spontaneæ naturæ excretiones, ad quarum similitudinem artificiales sunt, omnes aliter excitentur. Superpurgationes quoque à sola medicamenti acrimonia mordente & stimulante, aut certè ab hac præcipuè nascantur: cibi & potus siue natura siue ex accidente nauseabundi absque omni tractione valide purgent quosdam: Galenus etiã non aliter eas fieri à medicamentis aliquando docuerit: Res ipsa demonstret, multa absque tractione medicamēta sic purgare: vt hic Galenus docuit. Et exemplo

Antimonij  
ori ventri-  
culi inimi-  
cissimum.

Opium cur-  
nō purgat?

Epilogus.



vomitus & purgationum aliarum moueamur, Naturā absq; tractiōe corpus à noxijs repurgare posse: Veteres trahendi istam cæcam potestatem ignorauerint: Denique cū nostra sententia cum experientia magis consonet, quàm aduersa: non vereor dicere, videri mihi hanc, quam defendo, opinionem, veriore Galeni sententia de vi tractrice. Quod si rationes cognouero quando euidentes & firmas, quibus ea certius comprobetur, libenter sententiam mutabo. Te etiam atq; etiā hortor, vt re diligenter examinata prius, id demū sequaris, quod ratio sequendum tibi persuaserit.

### QVAESTIO TERTIA.



**N**unc iam tempus est, vt ad tertiam quæstionē accedamus. Ea talis erat: An ex pharmacis purgantibus, alia solam bilem flauam, vel atram, alia solam pituitam ex corpore educerent? Quid Gal. hic senserit, imò post eum Medici propè omnes, notissimum est. Profectò non parum me à proposito exponendi cogitationes meas iste cōsensus absterruit antehac semper: & nunc etiam absterret. Veruntamen quia te spero id esse facturum, quod ego me fecisse adhuc de principio dixi, facilius mihi persuaderi patior, vt, quid putem, declarem. Sic enim faciens errare in agendo non poteris, vt maximè in sentiendo errare te demōstretur. Quippe si rectè sentio, non ago quicquam contra id, quod sentio: sin perperam res istas intelligo, in agendo tamen nequaquam à communi via declino. Ergo vt ad rem ipsam descendam, si vera sunt, quæ hucusq; disputauimus in duabus præcedentibus quæstionibus, haud erit huius propositæ rei explicatio difficilis. In prima quæstione hoc demonstratum fuit, medica-

Quid in  
prima quæ-  
stione pro-  
batum.

medicamentorum purgantium aliqua per notam purgare qualitatem: nempe per mordacem & stimulantē caliditatem virtutem expultricem excitantē. Alia quædam reperiri diximus, quæ non caliditate hoc efficere, sed ingrata naturæ qualitate (nomine certo carente) idem præstare videantur. Hanc si quis occultam vellet vocare, non repugnatos nos esse ostendimus. Quamquam non sit nobis omni ex parte ignota ea qualitas, quam sensus nostri, generatim licet atq; obscure, adesse docent. Proinde cū gustus & odoratus sæpe nos doceat, quæ aduersa vel amica nobis sint: nec tamen exactè nobis declarēt, quatenus nobis aduersa sint: medium eam qualitatem locum inter omninò ignota & planè cognita obtinere putamus. Hoc certè euidentissimis argumētis & exemplis planum fecimus, purgatricem istam qualitatem non in formæ substantialis essentia, sed in proximæ materiæ ac temperamenti proprietate cōsistere. Et hanc solam cū Galenus agnouerit in medica materia, per substantiā totā nihil aliud intelligere ipsum potuisse dictū fuit. Apertè quoq; fassus est, nōnulla ex his in altera deinceps quæstione, nō trahendo, sed turbādo, probabili cōiectura vel suspitione cognosci posse. Iam purgationes effici ostendimus rationibus atq; exemplis multis. Atq; tractionis illius Galenicæ, neq; argumentū firmū, neq; exemplum congruens proponi in medium posse, argumento illud fuerit, quod neq; Galenus, neq; alij post eū, licet sæpe & multū tentatū hoc sit, inuenire adhuc vllum potuerūt. Quocirca si prius dicta cōsistūt, efficitur necessariò, medicamenta nō trahere certū aliqñ humorem ex corpore, sed promiscuè quemuis: modo ad expulsionē sit idoneus. Etenim nō pharmacū, sed natura ab eo excitata expellit. Expellere autē hæc, incitata cū est, noxia solet, nō vtilia: nisi cū immoderatè agita vel cū vtilia cum inutilib. & excrementis permista sunt.

*Quid in secunda ostēsum.*

*Pharmaca non trahūt certum humorem.*



*Natura in  
spontaneis  
vacuationi  
bus semper  
expellit hu  
mores pec  
cantes, qui  
cunque illi  
sint.*

*Purgatium  
alia conue  
niunt magis,  
dum bilis pec  
cat, alia dum  
pituita re  
ducat, etc..*

*D. Guiliel  
mus Putea  
nus, Medi  
cus Gratia  
nopolita  
nus.*

Perfacile ex hac quæstione se expediet, quisquis non igno  
rat naturam, id est, facultatem, quæ corpus nostrum gu  
bernat in diarrhœis, in crisi bus, & vacuationibus alijs  
sponte factis, non vnum & eundem semper humorem  
profundere: sed modò bilem flauam, modò atram, alio  
tempore pituitam, nonnunquam serosos humores eua  
cuare. Omni enim tempore, cum valet, ac impedita non  
est, id extra corpus eiecit, quod corpori molestiam parit:  
vtilia autem retinet. Cum hæc etiam extrudit, incitata  
fuit vehementius: à quacunque tandem causa irritata  
putetur. Quod si à nullo pharmaco impulsã hoc spon  
te sua facit, quis dubitare potest, quin à pharmaco pro  
uocata & stimulata idem faciat? Ergo tempore quouis,  
cum vel ab interna vel externa causa, vel à pharmaco  
laceffitur & suscitatur, hoc depellere nititur, à quo lædi  
tur. Quo tempore humores, quicunque; moueri possunt,  
& à retentrice virtute non retinentur, magno conatu,  
pro irritantis causæ modo & viribus, deturbare, extraque  
corpus eiecere conatur. Hinc pendet ratio ferè omnium,  
quæ hic rectè quæri possunt. Addendum tamen prædi  
ctis est, quædam magis prodesse vno tempore quam a  
lio: magisque; conuenire in vnius humoris redundantia  
quam alterius. Etenim cum aqua educenda est, aut cras  
sa pituita, non sufficit illa exhibuisse, quibus bilis fortè  
educatur. At hoc non inde accidit, quia certum humo  
rem singula purgent: eumque; trahant ad se propter ef  
sentiarum similitudinem: sed quia magis minusque; sti  
mulare naturam, & ad excretionem quasi cogere pos  
sunt. Quoniam nonnulla excrementa facile pellit: ali  
qua non nisi magno conatu exturbat. Velim te legere,  
quæ de hac ipsa re scripsit D. Guilielmus Puteanus. Me  
dicus Gratianopolitanus libro, de medicamentorum put  
gant. facult. 2. cap. penultimo: vbi multa rectè monet  
huc spectantia. Quod si iam interrogas, qui fiat, quod  
hydropico

hydropico medicamentum cholagogū exhibitum, bilem satis multā educat, aquam verò modicam: at si eidē aquam purgans medicamentū exhibeatur, aqua copiosa deſiciatur, bilis modica omninō: ex prædictis facile reſpondebimus. Ideo medicamentum bilem purgans, aquam nō multam purgat, bilem nihilominus educit ſatis multā: quia quæ bilem purgant ſolam, minimè ſunt fortia. Si vel leuiter irritent potentiam expultricem, expellit ea bilem, quæ in inteſtinis & circa hepar collecta eſt: quoniam & leuis, tenuis, atq; mobilis eſt: ſuaq; ſponte quotidie deſcendere per inteſtina ſolet. Vt aquam expellat, maiorib. ei viribus eſt opus: ideoq; ſtimulari eam validius oportet: quoniā nec in meatibus illis continetur vniuerſa: nec aſſuevit natura per ea loca aquā depellere. Rectè ergo Galenus lib. 14. Meth. cap. 17. Bilem ſuauiſſimè & lentam verò craſſamq; pituitā & atram bilē difficilius expurgari aſſeruit. Verba eius hæc ſunt: *Ἐπι μὲν ἐν τῆς ὀφθαλμῶν χολῆς αἱ κενώσεις ἐπιμώτεραι. τὸ δὲ φλέγμα, καὶ μάλιστα ὅσον αὐτῆ παχυτερόν τε καὶ γλίχρον ἐστίν, (ὡς αὐτῶς δὲ καὶ ἡ μέλαινα χολή) δυσκόλως ἐκκινῆται.* Quæ ergo aquam multam purgant, bilem quoq; ſimul aquæ permixtam purgant. Quæ ſi paucior videtur eſſe, ex eo contingit, quod non ſeorſim excernitur, ſed per copioſam aquam diſperſa fuit. At quæ bilem vacuant, aquam etiam vacuant quidem, ſed illam ſolam, quæ in locis & meatibus idoneis continetur. Hanc autē vacuant, quia expurgatu facilis eſt: & vnā cum bile excidit: Sic etiam non purgant, niſi prius diligēter ea ſit incifa & abſterſa. Vnde ratio patet, cur, quæ tum aquam tum pituitam craſſam detrahunt, aut vehemēter ſint corpori inimica: aut certe valde ſimul calida & mordacia. Ego ingenuè fateor, me nullum vnquam medicamentum ſtrenuè purgans vidiffe cuiquam exhibitum, quod non liquidiffi-

*Cur bilem purgās nō educat aquam.*

*Aquam va cuantia bilem quoq; expurgāt.*

*Cur aquā educentia valde acria eſſe oportet.*



mas faceret deiectiones. Leuia & parum vel ingrati-  
 nis vel caloris obtinētia, plerunq; solidiora detrahunt:  
 illa scilicet quæ in intestinis aut eis vicinis maximè par-  
 tib. asseruātur: nisi corpus omninò vitiosis humorib.  
 ad purgationē idoneis plenum sit. Tūc enim imbecilla  
 etiam, multa & aquosa detrahunt. Quæ nam est huius  
 accidentis causa? Nulla sanè alia, quàm quod validiora  
 medicamenta naturæ sunt adeò molesta, vt eam non v-  
 sitata solum excrementa cum bile flaua, sed & aqueas  
 partes exigere cogant. Equidem nullum vnquā vidi pur-  
 gatum (vno solo excepto: qui epoto medicamento bi-  
 lem ac pituitam purgante, nigerrima deiecit. Sed facile  
 est videre, cur nulla hic bilis apparuerit: quantumuis  
 non pauca adesset.) cui cum cæteris humoribus bilis  
 plurima non simul excreta exactaq; fuerit. Etenim vt  
 purgantia omnia stercus educunt, quia in intestinis hæ-  
 ret, sic & bilem quoq; vacuant: tum quia vacuari com-  
 modè potest, tum quia in intestina plerunq; confluit:  
 aut à natura excitata facile eodē depellitur. Fidem huic  
 rei faciunt quæcunq; in ægris apparent. Datam sæpe ab  
 alijs, (& à me quoq;) Mannam solam in iure cicerum  
 dissolutam, aliquando aquâ copiosissimam bile tinctâ,  
 interdū nigerrima detraxisse recordor. Memini sæpissi-  
 mē nigrū elleborū in tumore splenis nihil aliud, quàm  
 lentam pituitam flauam eduxisse, atq; ægros inde belle  
 habere cæpisse. Vt semel dicam, quisquis obseruare ista  
 volet, sicut ego per multos annos summo studio obser-  
 uauit, (modò caueat, ne à tinctura siue colore, quem ali-  
 quando excrementa propter exhibiti pharmaci permi-  
 stionem nanciscuntur, decipiatur) rem ita habere, vt di-  
 ximus, comperiet. Non nego interim partem pharmaci  
 per venas mesenterij penetrare aliquouſq; & humores  
 qui ibi sunt incidere, separare, extergere, colliquare, de-  
 niq; à natura repelli ad intestina, vnà cum humoribus  
 colliquatis

*Pharmaca  
leuia cur se  
pe multam  
aquam va-  
cuent.*

*Omnia pur-  
gantia bilem  
exigunt.*

*Purgantia  
quædam ve-  
nas subeunt.*

colliquatis & exteris: quos loco suo mouere aliàs natura fortè nō potuisset. Quod si in hac re discrimen pharmacorum, & præterea causam, cur nō omnia quemuis semper humorem purgent, quærendam aliquis putet, cum eo non valde contenderim. Quãquam video tam breui ea tempore postquam sumpra sunt, aluum turbare, vt nihil hic operæ precij facere potuisse videatur. Negare interim non volo probabilitatem habere opinionem modo dictam. Equidẽ purgantia calefaciendi potestatem cuncta obtinere cõtendit Galenus. Quo fit, vt credibile sit hæc ipsa efficere posse, quod efficere ab his dicuntur. Nec mirũ videri debet, quædã pharmaca humores vnos ab alijs diuidere ac separare vi facultatis secreticis seu animæ: cùm aqua aurificum, quam ab efficitate sua Fortem appellant, argētum ab auro nullius ope animæ secernat: cuius euentus causam in epistola seu tractatu de abditis pharmacorum viribus exposui. At verò obstare videtur huic sententiæ, quod pars maxima purgantis pharmaci in ventriculo atq; intestinis remanet: atq; cum humoribus ex venis in ea influentibus eluitur. Galeni sententiam hanc fuisse nescire nullus potest. Quid cæteri senserint, non est obscurum. Certè in hac re magnus est, ac semper fuit, doctorum consensus. In tractatu nuper nominato copiosè admodum hoc ipsum demonstraui ex ipsa rerum experientia. Sanè pharmacorum quicquid per venas ad hepar penetrat, per vrinæ vias potius vacuatur, quàm retrò ad intestina repellatur. Huc & illa accedunt, quorum aliquoties facta fuit mentio à nobis, quod nonnunquam vicia solum purgant: quod nominata tantum ventrem turbant: quod odore duntaxat eorũ percepto vacuant. Postremò etiam, quod cibi ac potus nonnulli, qui vim colliquandi nullam habent, non minus strenuè purgant. Haud scio etiam, quomodo potestas alicuius

*Aurificum  
aqua auric  
ab argento  
separat.*

*Pharmaca  
nō purgāt  
colliquefa-  
ciendo hu-  
mores.*



medicamenti in catapotia cōformati, dum in manibus solum gestatur, in venas totumq; corpus subire, & colligere humores ibi contentos valeat. Quocirca tutior ac verior hæc mihi visa adhuc sententia est, quæ virtuti excretrici totam hanc actionē præcipuè adscribit: pharmacis autē irritandi ferè solum facultatē, qualiscunq; ea tandem cogiretur esse, tribuit. Attamen negari non posse puto, quin aliquando purgationes plurimum sic adiuuentur. Porrò non deponere naturam excrementa alia ad ventrē atq; intestina, cūm exagitur à pharmaco, quàm quæ redundant, ( quicquid tandem trahere pharmacum fingatur ) partim ex supra declaratis, partim ex sanorū purgationibus apparet. Etenim rectè ab Hippoc. 2. Aphor. 3. 6. & 37. affirmatum est, sanos corporaq; pura habentes, difficulter purgari. Causa, meo quidem iudicio, non ea est, quam vulgò adferri video: quia videlicet medicamentum, non reperiens humorem familiarem trahendum, carnes liquet ac tabefaciat: & sic

*Cur sanorū purgationes assici- les.*

*Purgantia nō liquefaciunt carnes, vt ex eis bilē trahant.*

*Generatio- nes perfe- storum mi- storum, nō retrosum, sed prorsum eunt.*

trahendum humorem eliciat. Videtur hæc mihi sententia omninò absurda. Primum quia falsum est, in sanis & puris corporibus non inueniri satis multum bilis, (exempli gratia) quæ à pharmaco non semel tantum, sed sæpius exhibito, vacuetur. Multò rectius Hippoc. lib. de nat. humana, bilem vtramq; pituitam, & sanguinem, in homine omni tempore, loco, ætate inueniri asseuerauit. Quod si est verum, vt certè est verissimū, falsum esse oportet, quod dicitur, pharmacum bilem purgans aliquo tempore non inuenire quod vacuet: atq; ob id carnes liquefacere conari: vt proprium humorem, sicut Gal: loquitur, inueniat. Quis enim est adeò imperitus rerū omniū Philosophiæ candidatus, qui nesciat, rē nullā perfectè mistā in idē illud resolui posse, ex quo cōcreuit. De vera generatione loquor: in qua materia substantialis fit transmutatio: vt cūm ex ovo pullus fit, aut

ex.

